




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Continuatio II. Romæ Sanctæ

Fabri, Augustinus


Augustæ Vind., Anno M.D.CC.XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72647](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72647)



N. V. 10.

Th 414 a (2)





*Andreas Hercules de Fleury Gallus Episcopus
olim Foro-Julienſis in Provinciâ S. R. E. Presbyter
Cardinalis creatus à SSmo. D. N. BENEDICTO
PAPA XIII. in Consistorio secreto die 11. Septembris 1726.*

Cum Gratia et Privilegio Sac. Cong. Maj.

Joh. Christoph. Kolb. sculpsit



Portrait of the author of the Essay on Criticism
The author of the Essay on Criticism is
John Dryden, Esq. D. D. R. E. P. B. D. O.
1689



*Fr. Laurentius Cozza, Montis Falisci, Minister Generalis
totius Ordinis S. Francisci, S.R.E. Presbyter Cardinalis cre-
atus à S. Smo. D.N. BENEDICTO PAPA XIII. in Con-
sistorio secreto die 9. Decembris 1726.*

Joh. Christ. Kolb sculpsit.

Cum Graua et Privil. Sac. Caes. Maj.

73.



Handwritten text, likely a name or title, which is mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.



Nicolaus Maria Lercari Genuensis Archiepiscopus
Nazianzenus S. S. m. D. N. BENEDICTI PAPÆ XIII
Primus Minister, et Status à Secretis, S. R. E. Presbyter
Cardinalis creatus ab eodem S. S. m. D. N. in Con-
sistorio secreto die 9. Xbris 1726.

Joh. Christoph. Kolb exc. a. P.

Cum Gratia et Privilegio Saer. Cæs. Maj.

74.



Handwritten text in a cursive script, likely a Latin inscription or a dedication, located below the portrait. The text is faint and difficult to decipher but appears to be arranged in several lines.

74

Handwritten text at the bottom right of the page, possibly a signature or a date.



Don. Angelus Maria Quirinus Venetus Episcopus Brixien-
ensis Ord. S. Benedicti Cong. Casinensis, S. R. E. Presbyter Cardi-
nalis creatus à S. Srno. Dño. Nro. **BENEDICTO PAPA XIII.** in
Consistorio secreto die 9. Decembris 1726, et in simili Consisto-
rio publicatus die 26. Novembris 1727.

Cum Grat. et Priv. Sacre M.

Ioh. Christoph. Kolb excudit.



Das Bildnis des Herrn Johann Friedrich Schlegel
geb. den 17ten Decembris 1752 in
der Stadt Paderborn
am 17ten Decembris 1825
gestorben in der Stadt Paderborn



*Ioannes de Motta y Silva Lusitanus, Canonicus
Patriarchalis Ecclesiae Ulyssiponensis, S.R.E. Presby-
ter Cardinalis creatus à SSmo. Dño. Nro. BENE-
DICTO. PAPA XIII. in Consistorio secreto die 26.
Novembris 1727.*

Can. Graec. Priv. Sac. Cap. Mag.

Ioh. Christoph. Kolb. exc. a. v.



Portrait of Johann von Scharf, a member of the
Imperial Council of the Elector of the Palatinate, R. E. Bishop
of Speyer, and a member of the Imperial Diet of
REIMS, in the year 1713, during the
War of the Spanish Succession.



Didacus de Astorga y Céspedes Hispanus Archiepiscopus Toletanus, S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à S. S. mo. D. no. N. ro. BENEDICTO PAPA XIII in Consistorio secreto die 26. Novembris 1727.

Cur. grat. et Priv. l. Sac. Cas. Reg.

Joh. Christoph. Kolb. excud. A. V.



Didacius de A. ...
...
...
...
...



*Sigismundus de Kollonitz Germanus Archie-
piscopus Viennensis in Austria, S. R. E. Presbyter
Cardinalis creat, a SSmo. Dño. Nro. BENEDICTO
PAPA XIII. in Consistorio secreto die 26. Novembris 1727.*

Gulgrat. et Priv. Sac. Coe. M.

Joh. Christoph Kolb sculp.



...muntz de Kollontz Germaine...
...R.A.B...
...BENEDICT...
...1783...
...1783...



Philippus Ludovicus de Sinzendorf, Germanus, Episcopus Laurinensis, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo Dno Nro. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 26. Novembris 1727.

Cum Grat. et H. Sa. Ca. M.

Joh. Christoph. Kolb. exc. 1727.



Philippus Ludovicus de Sacerdotibus
episcopus Cantuariensis S. R. E. Archiepiscopus Cantuariensis
in Christo Dominus BERNARDUS PAPA VIII. in Christo
Sacerdos Cantuariensis Archiepiscopus Cantuariensis
Sacerdos Cantuariensis Archiepiscopus Cantuariensis

CONTINUATIO II.
ROMÆ SANCTÆ

AUCTORE

F. AUGUSTINO FABRI
EX ORDINE PRÆDICATORUM.

Icones cœlante

JOANNE CHRISTOPHORO KOLB,
Calcographo Augustano,

*Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæsareæ. Majestatis,
Et Superiorum Permissu.*



AUGUSTÆ VIND. ANNO M.D.CC.XXX.



Imprimatur H. S.

Augustæ 20. October. 1730

Franciscus Josephus de Handl,
SS. Theolog. Licent. Rever^{ssimi} &
ser^{ssimi} Princip. & Epil. August. Con-
sil. Ecclesiast. Major Pœnitentiarius,
& Librorum Censor, nec non in-
signis Ecclesiæ ad S. Mauritium Ca-
nonicus, & Parochus.



1740
PONTIFEX ROMANUS BENEDICTUS XIV. CATHOLICAE
RELIGIONIS DEFENSOR ET PROPAGATOR
Huiusmodi BENEDICTUS XIV. CATHOLICAE
RELIGIONIS DEFENSOR ET PROPAGATOR
Huiusmodi BENEDICTUS XIV. CATHOLICAE
RELIGIONIS DEFENSOR ET PROPAGATOR


l,
&
n-
is,
n-
a



*Franciscus Antonius Finy, Minervinensis, Archiepiscopus
Damasceus SS.^{mo} DN. PAPE BENEDICTI XIII. Cubiculi
Præfectus S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus ab eodem
SS.^{mo} DN. in Consistorio secreto die 9. Decembris 1726., et in
simili Consistorio publicatus die 26. Ianuarij 1728*

Cul. Grat. et Priv. Sac. Cz. M.

Joh. Christoph. Koll. exc. a. d.



No. LXXX.

FRANCISCUS ANTONIUS FINY MINERVIENSIS.

Franciscus Antonius Finy S. R. E. Presbyter Cardinalis, natus Miner-
viæ 6. Maij anno 1669, nobilissima familia de Finy suæ nobilitatis
decora trahit ex Regno Candia, & Provincia Ithriæ, Candia urbs
est Metropolitana potentissima, sita in Insula Candia (unde & no-
men accepit) ac olim Sede Archiepiscopali decorata, habens sub se
novem Episcopatus. Anno 1645. Turca obsidione longa eam an-
gustavit, quam, propè Carvacam cruento commisso prælio, & exercitu Barbarorum
usq; ad interneconem deleto, iterum solvit, interempto selecto milite. Nihil omni-
nus usque ad annum 1667, urbem circumquaq; arctè cinxit. Mense Majo ejusdem
anni denuo urbem obsidere coepit, ac tandem certis utrinque initis pactis urbs se ul-
tro hosti dedit. Dicunt, Turcarum militum plus quam 600000, duranre hac obsi-
dione interuisse, & Constantinopoli hanc ob causam ingentem rebellionem fuisse ex-
ortam. In tanto belli discrimine, tamque variarum fortunæ agitationum fluctibus
generosa enituit semper propago Finiorum, quæ aliquoties hostem imperperito ani-
mo à moenibus arcebat, in acie profligebat, & superbè erecta lunæ cornua confun-
debat cum ingenti strage occisorum. In fractis enim viribus Vincentius Finy & à
tergo, & à fronte irruens, omni spreto vitæ periculo, inter majora discrimina strictò
gladiò, cadente hinc & indè hoste densos militum cuneos perrupit, securus victoria,
vinci nescius. Tanta illi erat bellicæ artis peritia, ut crebrius hostium multitudine
contempta, cum paucis suorum campo eos cedere cogeret. Acre illi ac perspicax
ingenium, non armis duntaxat potens, sed in omni litterarum genere excellens,
juris præsertim prudentia, quam bello fœdere victori gladio sociabat, hoc ad hosti-
um deletionem usus, illà ad justitiæ defensionem. Quare Marte tandem relicto,
Candiæque patriâ, Venetias se contulit. Ubi solutis de more 100000, ducatis Ve-
netis serenissimæ Reipublicæ nobilibus aggregatus fuit. Post temporis intervallum
excellens dignitatem Procuratoriam prioribus haud minoribus expensis nactus est;
Dicunt, nisi inimica mors sortem ei invidisset, futurum fuisse, ut ad Ducalem ibidem
celsitudinem ascenderet, in caput nempe totius serenissimæ Reipublicæ electus: tan-
to nimirum apud omnes in amore, & honore fuit ob eximia animi corporisque or-
namenta. Ex illustrissima hac, & celeberrima prodiit familia Franciscus Antonius
Finy. Hic statim à primis litterarum incunabulis prodidit, quem virum esset aliquando

M m m


in

in publico orbis & Orthodoxæ Reipublicæ theatro acturus. Erat illi ingenium mite, & ad omnem urbanitatem aspectu decoro, elegantique temperatum. Elucebat in adolescente comitas, industria, probitas, & in novæ purpuræ hospite verecundia, zelus Religionis, & ad omne pietatis studium docilis alacrisque spiritus. Prima sapientiæ fundamina jaciens, jam domicilium sapientiæ efficiebatur. Nulla re adeo delectabatur, quàm subventionem pauperum, oppressorumque erectione. Quod ut validius exequi posset, maximam industriam adhibuit, ut haustis Philosophiæ arcanis, ac mysterijs Theologiæ abstrusis ingenii sui acumine perlustratis, utriusque juris apices in tanta excellentia possidere coeperit, ut brevè ipsam sacram Themidem suarum altitudine scientiarum in admirationem rapuerit fufis é sacris tribunalibus ex intimis juris visceribus oraculis. Tales namq; eximios viros aut eligebat, aut formabat, quos lateri suo familiariq; convictui adhibere amabat Vincentius Maria Ursinus, nunc summus sapientissimè navem Petri gubernans Pontifex BENEDICTUS XIII. Nam cum sua sanctitas in urbe Beneventana Archiepiscopum ageret, arga familiaritate Franciscum Antonium Fini amplecti dignabatur. Creatum jam Cardinalem cubiculi sui Præfectum esse eum voluit. Ut autem in profundissimæ humilitatis Principe ad purpuram assumpto Cardinalitia dignitas conspicua magis elucesceret, Sanctissimus Pater ipsi muneri dabat 4000, Scudorum adornata insuper habitatione, quod rari admodum affectus signum est, & gratia paucis concessa, in Palatio Vaticano, ut propriorem haberet ad manum, suum Theologum, mensili auctum pensione 5000, talarorum, quocum personali alloquio de rebus maximi momenti prompta consilia iniret, cujus fidem, atque insignem prudentiam ex dignatione diuturnæ familiaritatis domesticæ expertam nunquam non comprobavit. Vitâ sancti Cardinalis Nicolai Carracioli Abbatiarum reditus in suum Finum transtulit, denominato posthac Administratori Melfensis Diœceseos mille scudos adjecit ex arario Apostolico solvendo, imposito ipsi munere, ut deinceps Cardinalibus, & Prælatibus, quorum pensiones à Pontificia penduntur Camera, exsolveret suas contingentes portiones, Submissos semel, qui Eminentissimo Cardinali Coscia, æquè suæ Sanctitati in paucis dilecto, pro rata temporis debebantur septuaginta quatuor scudos, in donum gratuitum ab eodem remissos accepit. Post mortem Cardinalis Fabronij, sanctissimus Pater unam, valdè pinguem Abbatiam Eminentissimo nostro Francisco Antonio Fini concessit. Postremò verò eum Archi-Episcopum Damascenum denominare placuit, videlicet maximum de se meritum Virum, ac scientiis, & virtutibus præpollentem uni opulentissimarum Urbium sacrum Antistitem præficere. Igitur illam Princeps purpuratus nactus est spratam, quam Paulus vas electionis sua prodigiosa conversione, postea inibi in sporta per muros dimissus condecoravit. Gemit equidem hodie sub Turcico iugo pusillus Damasci incola Christiadum grex, & mutatis plerisque vero Numini dicatis templis in Muscheas, & idolorum delubra, conspicit crucis locò cornigeram lunam ubique in altis quondam sacris ædificiis, erectam, confusus tamen cœli favore fore, ut dimidium hoc mutabilis Deitatis simulacrum zelo sacerrimi hujus & Eminentissimi Purpurati tandem prostratum sub pedibus erubescat Orthodoxæ veritatis. Nec enim defunt fortissimi Catholicæ Fidei defensores: Societas JESU hic pedem ac domicilium jam fixit, ardore tantorum virorum luna paulatim incalcescet, familiare enim est istis JESU nomen portatoribus, ubique terrarum, illud hominum cordibus altè imprimere, ac durissimos Caucafi rupes sparso Evangelij semine fertiles reddere. Sed & R. R. P. P. Carmelitæ & Franciscani diu nocturne divinas laudes persolvunt, & conversioni infidelium student, quomodo nudo pede calcata luna agrum Damascenum ad pristinam ubertatem reducant, & destructis idolorum fanis cœli terræq; supremo Numini templa erigant. In parma gentilitia illustrissimæ Finiorum familiæ leo erectus conspicitur, quemadmodum enim rugitu suo foetum mortuum suscitatur, id est, ad vitam excitatur, sic zelosissimus

Anti-

Antistes Damascenus suæ curæ , & pastorali sollicitudini commissas ex majori parte per infidelitatem , & detestandos mores mortuos , vigilantia solertia , & oratione ad Deum sua vivificabit. Nolite igitur Damasceni ! nolite expavescere ad vestri leonis rugitum , vivificat , non occidit , *opera tenebrarum abijcite , & induimini arma lucis* : ad pedes crucifixi accurrite , & vivetis , magnanimo satis est corpus prostrasse leoni. Non sanguinem sitit Purpurati Principis ardor , sed animarum vestrarum salutem , vincere didicit clementiam magistra Vincentij Mariæ Ursini Franciscus Antonius Fini , qui ob insignia , & sapientiæ , & virtutum merita à BENEDICTO XIII. in solium Petri successio , rubeo Galero coronatus est in Confessorio secreto habito die 26. Januarij 1728. unanimis sacre Purpuræ Dynastiarum placitis , congratulantium sibi sacroque Collegio de aucta per tantum virum splendoris gloria. Roma per domos illuminata festis ignibus signa insolita edebat lætitarum ob tanti Principis exaltationem , & universa Serenissima Respublica in medijs artificialibus focis inter mille vota conclamando : Vivat Fini nunquam intermorigura , ac finiendæ gloriæ.





No. LXXXI.

MARCUS ANTONIUS ANSIEDEUS PERUSIANUS.

Marcus Antonius Ansiedeus Italus S. R. E. Presbyter Cardinalis, Episcopus Perusinus sacrarum Congregationum S. Officij assessor, Episcoporum, & Regularium Examinator, Consistorialis Consiliarius &c. Perusiae ex nobilissima Ansiedeorum familia ortus, certè nobilissima, quæ Dei nomine ex nomine gloriatur. Talibus Marcus Antonius natus est Parentibus, à quibus cum lacte timorem Domini, initium sapientiæ suseret, ut per omnem ætatis suæ decursum prudenter agens intelligeret, sibi genus esse de cælo. Quare ad rectam rationis normam à teneris annis hic illustris imbutus surculus, specimina in vere floridissimo haud obscura ediderat, quos fructus esset daturus autumnali virilis ætatis tempore. Divino (ut ita loquar) ingenio dotatus litteras Perusiae humaniores vix delibatas, in sui substantiam convertit, & quod admirandum, tempore, quo alij expeditè vix loqui sciunt, prompto ore historiâs ex omni retro antiquitate è memoria depromsit, tamq; amabili dicendi venustate, & altitudine iudicij, ut diceret, per methamorphosin eloquentiæ Principem in Marcum Antonium immigrâsse. Romam adolescens ad nobile Collegium S. Clementis mittitur altioribus ibidem scientijs non solum instruendus, sed etiam exercitijs, artibusque, quibus nobilem carere indecorum est, instituendus. Enituit in utroque suos inter coetaneos Alumnos Marcus Antonius Ansiedeus, nam Philosophiæ arcana, & Theologiæ mysteria ad eum ingenij sui acumine penetravit, ut coram celeberrimo cœtu doctissimorum hominum summa cum laude disputaret, adversantium sententias comiter elideret, argumentorum laqueos sapienter distingueret, & nodos etiam intricatissimos solveret. Finito ad eum nobili sublimium scientiarum cursu, jurisprudentiæ ingenium applicavit, vocatis prius ad concilium, quas unice colebat, virtutibus, ne contra justitiam ex præscripto illarum quidquam ageret, vel decideret. Admotus itaque gravissimis Ecclesiæ statûs expediendis rebus, virtus, doctrina, æquitas, nobilitas Marcum Antonium virum in omni genere perfectum, & summis quibusque negotijs Romano Curiae aptum, perficiendis commendabant. Hinc anno secundo Pontificatus CLEMENTIS XI, munere decorabatur Referendarii utriusque signaturæ, ubi occasionem nactus conspicuam reddendi sui ingenij perspicaciam, & prudentiæ in agendis dexteritatem. Factus Auditor signaturæ justitiæ, dici haud potest, qualem virum in dictis & factis in hoc inquietissimo officio propter continuas audientias, quibus acutissimæ aures ob variam rerum, & personarum exigentias totius curiæ porrigendæ



*Marcus Antonius Ansidei, Perusinus, Episcopus Perusia
S. Rom^{ae} Universalis Inquisitionis Assessor S. R. E. Presbyter
Cardinalis creatus à SS.^{mo} D. N. BENEDICTO PAPA XIII. in Con-
sistorio secreto die 9. Decembris 1726. et publicatus in altero
Consistorio secreto habito post Semipublicum die 30. Apr. 1728*

Cum Grat. d. Priv. Sac. Cap. May.

*81.
Ich. Christoph. Koll. sculpsit A. N.*



... ..
 S. R. O.

rigendæ sunt, se exhibuerit. Nemo ad ipsum accessit, qui prudentiam ejus non admiratus discessit, affabilem Comitatem laudavit, omni humanitate perfusus mores de-
 prædicavit, odorem justissimæ æquitatis persensit, etiam suâ causâ cadens. Paucis
 post interjectis annis idem Summus Pontifex eum præficiat Signaturæ vicem ge-
 rentis Auditoris Camerae, quod munus annis pluribus sustinuit summa cum
 laude, omnibus omnia factus amore, æqui bonique causâ. Familiare est sacris ani-
 mis, virtutibus, meritisque graves extollere, istis verò, nunquam ad altiora benefi-
 cia aspirare, nisi in inferioribus prius optimè fecissent. Promotus deinde ad Secre-
 tarium Congregationis (ut vocant) del Concilio, amplum vasti ingenii sui campum,
 & invincibilis suæ prudentiæ vires exercendi nactus est, visoque, idem Summus Pon-
 tifex CLEMENS XI. sapientiam hujus Viri, solertiãque in expediendis gravissimis
 Ecclesiæ negotiis, nullis circumscribi limitibus, insigni eum munere decoratum voluit,
 Assessorum Sancti Officii denominando. Magnus sapientiæ, ac virtutum admirator,
 & amator Vincentius Maria Urfinus, hodie felicissimè regnans Orthodoxæ Ecclesiæ
 summus Monarcha BENEDICTUS XIII. in rebus maximè atdvis eximiæ hujus Viri
 prudentiæ tantum tribuit, ut non dubitãrit, ei committere valde grande, & impor-
 tantissimum negotium, concernens in orbe penè universo famosissimam constitutio-
 nem *Unigenitus*, quo ad mentem Sanctissimi Patris cum decumana laude sanctum,
 Episcopali dignitate Perusiana decoravit, magno cum applausu totius illius Urbis,
 quòd, quem genuit, in Anustitem haberet. Perugia (excepta Roma) est omnium
 prima in Patrimonio D. Petri, ampla, & populosa civitas, munita non minùs propug-
 naculis, quàm eminenti scientiarum Academia defensa. Sed, etsi bella inter se Au-
 gusto, & Marco Antonio gerentibus tota sit flammis absumpta, eam alter noster Mar-
 cus Antonius Ansideus in medio igne divini ardoris, & mutua Civium concordia illa-
 sam ab omnium hostium incurfione conservabit: etsi alio tempore ab eodem Augusto,
 L. Antonio in ea præsidium tenente extrema inedia fuerit angustia, ita ut Perusiana fa-
 mes in proverbium abierit, Marcus Antonius Ansideus sacro oris sui pabulo, & pane
 super substantiali eam ad usque delicias cibabit. Totila Gothorum Rex septenali obsidio-
 ne hanc urbem afflixit, & tandem captam solo æquavit; noster sacerrimus Antistes Mar-
 cus Antonius in longas myriadum series pastoralis eam solertiã circumplectetur apertis
 infinitis temporalium, & spiritualium fontibus consolationum, Narfies destructam noviter
 hanc urbem ædificavit, Marcus Antonius Ansideus eam ad formam civitatis novæ Jerusa-
 lem morum Sanctitate restaurabit. Longobardis diu subiecta tandem Sæculo nono
 Romanæ Sedi iterum à Rege Franciæ restituta fuit. Ab eo tempore sub nullius alte-
 rius redacta est potestatem, variis licèt bellorum jactata fluctibus præsertim gliscenti-
 bus armis Guelphos inter & Gibellinos. Ast cœlo tutore, nunquam non pacatis-
 sima tranquillitate, & amoena pace fruetur sub umbra sui zelosissimi Purpurati Prin-
 cipis & Episcopi. Circa annum 1620. Floruit Balthasar Ansideus doctrina & virtute
 prorsus insignis, & splendidissimum sui nobilissimi stemmatis, urbisque Perusianæ sin-
 gulare ornamentum. Erat is Paulo V. summo Pontifici ob raras sui ingenij dotes ac-
 ceptissimus, ita ut ipsius curæ, & probatissimæ solertiæ non solum celeberrimam in
 orbe Bibliothecam in Vaticano commiserit, verùm etiam illius sapientiæ difficillima
 expeditu confidit negotia, à quo etiam, præpropere morte extincto, Cardinalitia fuis-
 set dignitate honoratus. Quam alterius mors illi Ansideo invidit dignitatem, contu-
 lit fors huic nostro Ansideo, in, quem immortalem omnes Christi fideles optant, orantq;
 BENEDICTO XIII. qui in Consistorio secreto post Consistorium semipublicum pro Ca-
 nonizatione B. Margaritæ de Cortona Feria 6. die 30. Aprilis 1728. habito cum sacro
 Purpuratorum Dynastarum Collegio aggregare sibi complacuit finita concione de præ-
 dictæ S. Margaritæ Canonizatione hæc pauca subjiciens. Quinque idcirco S. R. E.
 Cardinales, quos in Consistorio nostro secreto die nona Decembris anni millesimi
 septingentesimi vigesimi sexti cum quatuor alijs jam publicatis creavimus, & adhuc,
 cum suppetiæ, quibus (jam vos non latet) religioso, & honesto, non tamen pom-

patico, illorum statui sustinendo consuleremus, defuerint, in pectore reservatos habuimus, ne diutiùs illis, utpotè de Ecclesia, & Apostolica Sede, quàm optimè meritis, quorùmque præconia, ut de gestis jam notis, hic retexere omittimus, honores debiti, ac præmia retardentur. Hodierna die ad majorem DEI laudem, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatem, decus, & ornamentum publicare intendimus: videlicet Venerabilem Fratrem Marcum Antonium ex Archi-Episcopo Damatæ Episcopum Perusianum, & Sancti Officii Assessorem, Venerabilem Fratrem Prosperum ex Archiepiscopo Theodosiæ, Episcopum Anconitanum, sacre Congregationis Concilii Secretarij, & fidei Promotorem, dilectum filium Gregorium Selleri nostri Ordinis Prædicatorum sacre Theologiæ, & Apostolici nostri Palatii Magistrum; dilectum filium Antonium Bancherium nostræ almæ urbis Governatorem, nostræ Cameræ Apostolicæ Thesaurarium Generalem. Præterea ad ipsius omnipotentis DEI gloriam, & Sanctæ Sedis honorem, duos alios creare intendimus Presbyteros Cardinales; viros siquidem ambos meritis, doctrinâ ac regulari observantiâ illustres, vobisque ac toti litterariæ Reipublicæ bene notos, votisque omnium commendatos: scilicet dilectum Filium Vincentium Ludovicum Gotti nostri Ordinis Prædicatorum electum Patriarcham Hierosolymitanum; dilectum filium Leonardum Porzia Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis electum Episcopum Bergomensem. Quid vobis videtur? auctoritate Omnipotentis DEI S. S. Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, declaramus ac respectivè creamus S. R. E. Cardinales. Usque huc verba Pontificis. Ea promotio, quanta lætitia non modò animos nobilissimæ familiæ de Ansidei pervaserit, sed etiam omnium totius civitatis Perusianæ Civium cordium medullas penetraverit, cogitatu facilius assequi, quàm dictis effari poterit; dum Purpureum honorem ex quadam participatione sui Purpurati Concivis etiam ad se singuli pertinere existimant, propiorésque se factos DEO, quem nunquam non propitium sibi fore pollicentur, quam diu quidem, quod diutissimè suis obtingere votis optant, DEO, & nomine, & moribus aliquomodo similem, protectorem, & sacerrimum Antistitem in terris venerari concessum fuerit, vel tandem videre (si superis placeat) DEI in terris aliquando Vicarium.





Prosper Archiepiscopus Lambertini, Bononiensis, Episcopus Anconitanus, Sacrae Congregationis Concilii Secretarius S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 9. Decembris 1728. et publicatus in altero Consistorio secreto habito post Semipublicum die 30. Aprilis 1728.

82

Cum. Grat. et Priv. Sac. Cas. May.

Joh. Christoph. Kolb. excud. AV.



Joseph Christoph Landwehr in Bismarck, Paderborn
für den Compagnon und Secretair R. E. Landwehr
im Jahre 1785 in Paderborn gedruckt
Verlag des Verlegers Joseph Landwehr
Paderborn

Verlag des Verlegers Joseph Landwehr

Paderborn

No. LXXXII.
PROSPER LAMBERTINI
BONNONIENSIS.



Prosper Lambertini tit. S. Crucis in Jerusalem Presbyter Cardinalis Archiepiscopus Theodisiae, Episcopus Anconitanus, Sacrae Congregationis Concilii Secretarius, fidei Promotor, Affessor Congregationum del Concilio Episcoporum, Regularium, Immunitatis, Confessorij, & sacrorum rituum, natus Bonnoniae ex illustri, & nobili familia Lambertinorum. Bonnonia ob terrae fertilitatem pinguis, vulgo la grassa indigitatur, dubium haud obscurum parit, an sit fertilior copia ingeniorum nobilium, & doctissimorum virorum, pluralitateque Divorum, quos universalis Ecclesia publico veneratur cultu, an abundantia vini, frumenti, & olei, ubertateque saporosissimarum frugum. D. Apollinaris proximus Apostolorum temporibus Verbi Divini primus existit Bonnoniensium Praeco, cujus vestigia secutus D. Zama circa annum ducentessimum septuagesimum primus ibidem Episcopus: hic innumeros post se reliquit doctrinam, & sanctum moniam celeberrimos sectatores, etiam tales, qui agros Bonnonienses suo pro Christi fide tuenda sanguine foecundarunt, plures vero sacri Collegij Dynastae Bonnonienses non tam Purpuram, quam salutaribus institutis, & vitae integritate, nobilissimam suam Patriam virtutum ubertate donarunt. Haec foecundissima Pater genuit Ecclesiae quatuor Summos Pontifices omni laude supra astra efferendos. Primogenitus erat Lucius secundus, qui licet vitam brevis, annosam nihil ominis oppresit audaciam Arnaldi Brixienis coriphaei, & auctoris Heresiae Arnaldistarum, vel, ut alij volunt, Politicorum, perverse collaborantium, ut mortifero suae damnandae sectae veneno etiam Imperatorem Conradum secundum inficerent: sed utrumque execratus est sapientissimus Princeps, nefariam videlicet Sectam, & impudentissimos Sectarios. Secundo genitus erat Gregorius XIII, de quo supra N. 5. fol 19. Tertio genitus Innocentius nonus, Vir integerrimae vitae, & mirae abstinentiae, unica tantummodo de die, & primum quidem ad solis occasum refectio contentus, benignus erga omnes, mitis praesertim in pauperes, vix in D. Petri solio consedit, factis concessit, summa cum consternatione Populi Romani, & totius orbis Christiani. Sedit enim duos duntaxat menses. Quarto genitus fuit Gregorius XV. Vir rectus, ac timens Deum: verbo, Prototypon absoluta virtutis. Vixit in Pontificatu duos annos, quinque menses, & unum diem. Anno 1529, Carolus V. Rex Hispaniarum, & S. R. I. invictissimus Imperator a Clemente VII, Imperii diademate coronatus est. Circa annum quadragesimum vigesimum tertium Imperator Theodosius junior Bonnoniae in toto orbe Universitatem plantavit famosissimam, altere factus Imperator eam deinde restauravit, immenso auro irrigavit, incrementum dedit, & maximis decoravit privilegiis. Ex hac foecundissima matre prodire innumera scientiarum lumina, Summi Pontifices, Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Praelati, & infiniti Doctores, qui Orthodoxam rempublicam sapientissime rexerunt, illustrarunt, defenserunt, & ab omni haeresi purgarunt. In hoc nobilissimo eximiarum virtutum, & scientiarum horto progerminatus est ad summas prosperitatum spes totius Romanae Ecclesiae odorifer flos Prosper Lambertini. Nobilissimus iste surculus pullulante vix iudicio discretivae aetatis erigitur optimis morum praecipis, & litterarum institutis, & comperto ingenitae nobilitatis indolem ad maxima quaeque munia esse natam, Romam mittitur, ut Bonnoniae inceptum in sublimioribus scientiarum cursum Romae in Clementino nobilium Collegio terminaret. Ingressus tam inclytum omnium virtutum & scientiarum seminarium perpetuum otio indixit bellum: nam ut erat perspicacis-

fimi intellectus, & ingenii acumine dotatus, spinosa Aristotelis dogmata facili labore, sine toedio, dum audiit, imbibit, totusque Solis Aquinatici radius immerfus, Angelum moribus, doctrina Thomam praeferebat, nihil interim eorum neglecto exercitiorum, quae nobilem a foris mirum in modum commendant. Excultus igitur uterque homo eximiis corporis, animique ornamentis, mentem forensibus impendit rebus, Gavisa est Romana Curia tanti viri frequentiam, qui utriusque juris cacumine consensu, omnium aures oblectabat, nam sive accusando, ubi mitior, sive defendendo, ad quod paratior, in utroque tamen sacrae Themedis alumnus oracula aequitatis profundeabat, unicuique, quod suum erat, tribuens. Capiebatur Clemens XI viri adeo eximij admirabili prudentia, miti, & comi ejus ingenio, expertus Prosperum Lambertini in omnibus verbis, ac gestis prospere ex praescripto justitia agere, parumque maximis negotiis tractandis esse, Fidei Promotorem, & Advocatum Consistorialem denominavit, qui jura civitatis Bononiensis, ejusmodi in Romana Curia gaudens privilegio, defenderet in omnibus ad illius commodum solerter intentus; constitutus ergo in munere tanto, imaginatu facile est, quanto studio in omnem circumspexit occasionem attenderit, quomodo grato animo emergentibus suae nativae telluris necessitatibus occurreret, qui sui generis mititate etiam desperatis exterorum causis, quantum in ipso erat, nunquam deerat. Erat enim commune refugium cujuscunque conditionis personis, sed pauperum imprimis necessitatibus compassus. Nunquam magni momenti negotium gerere aggressus est, nisi prius implorato coeli ac sapientiae increatae assistitricis favore: & quamvis ex omni latere diu noctuque vinculatus gravissimorum negotiorum catenis teneretur, invictum tamen ab orationis assiduitate spiritum non relaxabat, eamque, quam ipse in Superos fovebat Religionem, a sibi subditis exigebat, qui omnes unius moris domi, forisque sui pientissimi Patroni integritati vitae conformes fieri studebant: probe noverat noster Prosper Lambertini, prosperum iter conficere, qui quadriga virtutum Cardinalium in altum vehitur, inunctis rotis Religionis in Deum, & charitatis in proximum. Tanta solertia pro publica Ecclesiae Orthodoxae utilitate, qua noctes diebus maritabat, impensa, pietasque viri Clementem XI. pie movebant, ut merita praestantissimi hujus Praelati jam in altum cumulum excrecentia digno remuneraret singularis gratiae dono. Praefecit eum officio Signaturae (ut vocant) di Giustizia, & di grazia, ut & sacrae Themedis administrator, & gratiarum hospitator in promptu penes se haberet, omnibus juxta aequi bonique exigentiam benefaciendi. Haud multo post eum S. Officij Assessorem constituit, & aliquot interjectu annorum Secretarium Congregationis del Concilio, quo munere diu summa cum laude & satisfactione omnium in illo supremo doctissimorum virorum confesso functus est. In aulis quidem Imperatorum difficile est, successori placere naturam plerumque, moribusque diverso, praesertim ubi favori plus quam Regnorum commodis satisfacere placet. Non ita solet in aula Pontificia, ubi Ecclesiae incrementa, animarumque salutes per incorruptos, sacrosque Ministros potissimum attenduntur. Mortuo Clemente XI. Vincentius Maria de Ursinis, nunc solum D. Petri sapientissimè regens Sanctissimus Pater BENE-DICTUS XIII. nunquam non in dictis, & factis Prosperi Lambertini sibi complacuit, unde in divum Petrum suffectus, viri hujus in omni scientiarum genere, rebusque praesertim forensibus in Curia Romana expertissimi prudentiam ad importantissima quaeque negotia expedienda impensius utebatur, & probatissima ejus in omnibus fide compta, plures ei gravissimas sacrae fidei imposuit commissiones enucleandas, quibus dexterime ad mentem sanctissimi Patris confectus, ejus praecleara merita Episcopali dignitate primo Anconitana, deinde unanimis sacri Collegii Dynastarum suffragiis Purpuram cohonestavit, transferendo hoc tantis virtutum rerumque praeclearissimè gestarum meritis inclarescens sydus in serenissimum Purpuratorum Patrum caelum in Consistorio secreto habito 30. Aprilis 1728. sanctissimè autumans Ecclesiae prosperitatem nimum quantum fore augendam, Prospero suae benignitatis & charitatis salutiferos influxus in omnes abundè communicante,



*Fr. Gregorius Selleri, Perusinus, Ordinis Prædicatorum Sacri
Palatii Apostolici Magister S. R. E. Presbyter Cardinalis Creatus
à SS^{me} D. N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto
die 9. Decembris 1726. et publicatus in altero Consistorio
secreto habito post Semipublicum die 30. Aprilis 1728.*


83



Fr. Guericke Saltus, Primum; Fr. Henricus Sander,
Magist. Joh. Heineke, S. R. H. et Imper. C. Cantuariensis
et S. R. B. Archiep. TOPIKXII et Cantuariensis Cant.
die 9. Decembris 20. et publico in alt. Cantuariensis
Cant. habitis per Synodum die 20. Aprilis 1728.

Tab. Illustrat. Hist. Cantuar. p. 11.

Tab. Illustrat. Hist. Cantuar. p. 11.



No. LXXXIII.

GREGORIUS SELLERI

ITALUS

Ordinis Prædicatorum.



Gregorius Selleri tit. S. Augustini presbyter Cardinalis, Assistens Congregationum S. Officij, Episcoporum, & Regularium Examinator &c. honestis natus Parentibus in territorio Perusiano, splendidissimum Dominicanæ familiæ Sydus, vel si mavis, radius reflexus Aquinatici Solis; florigero in vere suæ adolescentiæ jam ardebat canicularibus pietatis ardoribus, face haud dubiè accensus ab illa, qua beatissimus Pater Dominicus Fundator candidi nostri Ordinis totum illustravit orbem, hæresum errores detexit, vitiorum tenebras dispulit, & omnium corda divinis flammis succendit. Sacra præeunte adeò flama, optimè ad divina dispositus Adolefcens Ordinem Prædicatorum ingreditur, dignissimus Candidatus illibati Candoris. Præclaræ corporis, & ànimi dotes famulam ipsius locabant operam virtuti. Hinc mundi transfuga in loco sacræ immunitatis factus suæ propriæ voluntatis occisor, nihil sibi in sua innocenti irregularitate magis fuit volupe, quàm ex præscriptu regulæ sacri Ordinis inter æquè sanctè delinquentes, sibi que præmortuos vivere. Lumen Thomæum altissimarum scientiarum quæsit in abyfso humilitatis, qua fida comite lucernam præferente perfacile eas invenit in sublimitate Thomistici montis, ubi ædificata altissimæ sapientiæ domo, factus est ipse inexpugnabile sapientiæ propugnaculum: nam profunda Philosophiæ arcana, & excelsa Theologiæ mysteria ingenij sui acumine ita penetravit, ut hominem exuisse, & Angelum induisse videretur, penitusque ab hominum cognitione debere esse remotum, quod ipsum lateret. Adeò sublimi volatui assuescit, qui sincerissimis Aquinatici Angeli doctrinæ alis portatur: non ergo mirum, si inoffenso pede ardua Ordinis percurrebat munia, qui suum domicilium virtutum meritis extruxit inter sydera. Ad tam eximias planè ànimi, naturæque dotes iteratò dignabatur respicere clementia summi Pontificis Clementis XI. visumque suæ Sanctitati è re fore universalis Ecclesiæ, si ad praxim extramissivam radiorum speculativum adeò sydus in multorum utilitatem redueretur. Igitur statuere placuit, hunc verè magnum Theologiæ Magistrum non obstante actuali munere Secretarij Congregationis, & Indicis, simul Consultorem sancti Officij, & sacri Palatij Apostolici Magistrum denominare. Quo excellenti in munere per continuam successione præstantissimorum ex Ordine nostro Prædicatorio Theologorum Fr. Gregorius Selleri fuit

Ooo

num-

numero septuagesimus septimus, eoque cum summa laude & omnium applausu ad plurimos annos functus est. Hunc Virum per totam Italiam maximè conspicuum reddiderunt non ascensæ duntaxat doctissimæ cathedræ, è quibus quot verba tot oracula fudit divinæ scientiæ, & scanfi suggestus in sacro Palatio, ubi coram ipso summo Pontifice, sua admiranda dicendi venustate ipsos sæpè Purpurarum Principum aulaeque Pontificiæ Ministrorum præsentium animos in stuporem rapuit, sed insignia Theologica Opera per publicum typum in lucem edita, in quibus, ne sibi soli prodesset, pretiosum longo labore collectarum Thomisticarum scientiarum thesaurum omnibus Theosophistis fidelissimè communicatum voluit. His egregiis eximii Doctoris Fr. Gregorii Selleri meritis permotus Sanctissimus Pater BENEDICTUS XIII. postquam dudum jam in pectore suo forum circumferabat, ad Cardinalitiam tandem dignitatem evehere statuit, ità sua Sanctitate vivæ vocis oraculo attestante in Consistorio secreto habito 9. Decembris anno 1726. in occasione creationis duorum Eminentissimorum Cardinalium Nicolai Mariæ Lercarij, & Laurentij Cozza. *Venerabiles Fratres*, Appropinquantibus communis lætitiæ diebus, quibus Nos, divini luminis instructi consilio, octo Beatorum nomina solemniter ad DEI omnipotentis gloriam Catholicaeque Ecclesiæ exaltationem Sanctorum catalogo adscribere constituimus, hodiernum diem, quo simul deficientem venerabilis Fraternalitatum Vestrarum Collegij numerum compleverimus, eligimus. Præmittimus interim, non parva Nos solitudine angere, quatenus per humile supremæ Apostolicæ auctoritatis exercitium, celeberrima super Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium electione felicitatis recordationis Sixti V. Prædecessoris nostri constitutio (la quinquagesima) suæ pro debito executioni mandetur. Hæc namque verba præcipua in ea leguntur, quæ hic duximus in Fraternalitatum vestrarum memoriam revocanda videlicet - - *Inter hos septuaginta Cardinales, præter egregios virisque Juris, aut Decretorum Doctores, non desunt aliquot insignes viri in sacra Theologia Magistri, præsertim ex Regularibus, & Mendicantium Ordinibus assumendi saltem quatuor, non tamen pauciores* : - - Exemplo Prædecessorum procul dubio ductus sapientissimus Pontifex, quem præ cæteris, & Benedicti XI. & Pauli IV. laudabilem præsertim latuisse, non credimus. Paulus enim Viros selectissimos duos Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, in divina facultate Doctores, post quos alij ad hæc usque tempora creati minimè connumerantur, prægrandis hic licet sit Ordo magisque inter Minoritas reliquos protendatur, assumpsit. Et Benedictus Noster Prædicatorum Ordinis tres sacre Theologiæ Magistros in vestrum ipsum Collegium brevem infra octo mensium decursum, cooptavit. Exempla proinde, haud dissimilia, ultimis nec defuere temporibus. Post nostram (heu quam immeritam ac jugiter dolendam) ad Cardinalatum electionem tres adhuc alij nostri Ordinis Cardinales nobiscum dignissimè, nostra sanè cum confusione florere, unòque per mortem avulso, alter non defuit verè aureus, ità ut ævo nostro, dum Cardinalatus functi sumus honore, Cardinales quatuor ex nostro Ecclesiæ quidem non inutili, Prædicatorum Ordine, nobis tantummodò infructuosos extitisse comprobentur. Ad majorem ergò DEI gloriam, sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatem, vestrique Collegii decus, novem omnes Cardinales, qui ad præsens septuagenario vestro numero implendo desunt, creare intendimus, ex quorum tamen numero duos duntaxat nunc evulgamus, videlicet - - - Reliquos verò septem (inter istos, ne, memoratæ Bullæ occasione, Regularium tantum nos meminisse videamus) præclaros aliquos, doctrina, & laboribus de Romana Curia benè meritos, recensuimus non ad carnem nos, & sanguinem respicientes, quæ penitus ad professæ nostræ Dominicanæ Religionis ingressum fuimus, Dei misericordia, oblii; juxta Davidis effatum Psalmorum 44. -- obliviscere domum Patris tui - - (ecce abominatio parentum - - commentat celeberrimus Hugo de sancto Charo, primus inter quinque, & quinquaginta Cardinales Ordinis Prædicatorum) reliquos, inquit, septem non libenter, sed planè inviti, in pectore reservamus, arbitrio nostro successivè publicandos, cum

vires

vires nobis, & media suppetent, illis pro debita statûs ratione providendi. Durum etenim nobis semper accideret promovendorum conquestibus non cavere, quorum honorificentia consultum volumus (quod jam prompti bene, ac sapienter considerent, & episcopari velint, optarem, si eorum honeste simul, ac religiosæ sustentationi pro posse non provideamus: quamvis aliàs (quod, & Nos experti sumus in primo triennio nostri Cardinalatûs, antequam Episcoparemur, in desuetudinem abijisse) statutum videlicet in electione Pij II., in Innocentij VIII. electione innovatum, ut scilicet Cardinalibus sua provisione carentibus, florenorum quatuor millia quotannis assignarentur, ad praxim Nos, etiam cum usura revocare studuerimus; dum floreni ipsi 4000. prout realiter tunc valebant, solam 4000. scutorum summam aequiparabant; de præfenti verò, & si tantummodò sint ideales, nihil omnia ad libram positi cum nostri temporis moneta scuta inveniuntur, tercentum supra quinque mille. Hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæ vobis circa hodiernam Cardinalium creationem, ac eorum respectivè, publicationem, & in pectore reservationem, significanda habuimus, super quibus nil nos profectò intendimus, nisi Dei gloriam, & Ecclesiæ, ac sacri vestri cœtus honorem. Quid vobis videtur? auctoritate Omnipotentis DEI, sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra creamus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteros Cardinales Nicolaum Mariam Lercarium Archiepiscopum Nazianzenum, Patrem Laurentium Cozza Generalem Ministrum Ordinis S. Francisci de Observantia, quem recentis nostræ constitutionis super habitu, & tonsura Prælatorum Regularium editæ memorem esse volumus, ipsique illius Observantiam expressè injungimus. Cum dispensationibus, derogationibus, & clausulis necessariis, & opportunis. Alios septem in pectore reservamus, arbitrio nostro quancumque declarandos. In Nomine Patris † & Filij † & Spiritus Sancti † Amen. Usque huc Sua Sanctitas.

Placuit ergo sanctissimo Patri sui, nostrique Sancti Ordinis Confratrem P. Gregorium Selli in Consistorio secreto habito 30. Aprilis anno 1728, unâ cum P. Vincentio Ludovico Gotti pariter suo nostroque Confratre, cum reliquis 5. in dicto Consistorio declarare, & respectivè coronare, non sinè ingenti sacri Purpuratorum Patrum, & universi Prædicatorij Ordinis gaudio, congratulantium unanimes cordis, & oris votis de aucto utriusque splendore. Perfusus ob tales dignissimis viris collatos à summa Sede honores insolita lætitia serenissimus Priuceps de Malta Equitum Melitensium supremus Magister Generalis utrumque Cardinalem Commendâ (ut vocant) annalium reddituum 500. scutorum, & Cruce, quod hujus Ordinis Insigne est, decoratos voluit. Lætare igitur terq; quaterq; beatus Prædicatorum Ordo! quòd inter medios Cleros fulgeas pennis columbæ deargentatis. O qualis Candor tuus natus fuit primi auri pallore decoratus! dum in Petra Petri fundatus tales de Petra excidisti columnas, quæ & ipsæ Petræ Petri factæ sunt, super quam Ecclesia firmiter edificata immobilis semper stetit, stat, stabitque contra ab inferis excitatos terræ motus. Fulges in pallore auri etiam ex morte eorum, quos Orthodoxæ Ecclesiæ Reipublicæ in Summos nutriti Pontifices, tres Beatissimos Patres illibatique Candoris Innocentium V. Benedictum XI. & Pium V. quorum doctrinæ veritas increpat feras arundinis omnivento falsorum dogmatum se pascentes: quorum vitæ integritas confundit Congregationes taurorum, quæ suas in Vaccis populorum ex turpitudine voluptates quærentes efflant ore impudico infectum halitum obscœna eructatione, præcepta dicentes, divina effervatu impossibilia, vota monastica rem esse detestabilem, quorum quidè, qui talia dicunt, damnatio justa est. Fulges in pallore auri ex immenso fulgore, quo modernus Sanctissimè gubernans Ecclesiæ Monarcha BENEDICTUS XIII. universam Orthodoxam Rempublicam illustrat, fatentibus ipsis Ecclesiæ adversariis, se deficere scrutantes scrutinio, & in ejus sacerrimæ vitæ ratione, peccatum quærere, sed minime invenire posse. Tua liliate Ordo! tua sancta instituta, quæ Sanctissimus Pater

BENEDICTUS tua singularis gloria, ad amissim in hanc usque diem strictissimè observat, talem reddiderunt Pontificem, cujus laus est in virtute DEI per omnes Ecclesias. Fulges in pallore auri, ex omnium, divina eloquia, & sacros Canones si eximas, tutissimâ Angelici Doctoris Thomæ Aquinatis doctrinâ, qua mediante tot coruscantia Sydera in Orthodoxo cælo exorta sunt, quæ saluberrimos sacrorum fidei dogmatum influxus in Christi Fideles ex ambonis, & suggestibus depluerunt, hæreses confuderunt, vitia extirpârunt, & omni virtutum genere agrum veræ Ecclesiæ fœcundârunt. Fulges denique in pallore auri, ex Purpurâ tot tuorum Cardinalium, Mitris Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & innumerabilium inconcussâ eruditione Doctorum in cælo partim jam coruscantium, partim in terris adhuc clarescentium. Lætare igitur & vel maximè renovato gaudio in pallore auri neo-purpurati Principis Eminentissimi Cardinalis tui filij Gregorii Selli, cujus insignia virtutum merita, tua sunt sacræ disciplinæ decora, & nunquam intermoritura gloria,



No.



*Antonius, Banquieri, Pistoriensis, Alme Urbis Gubernator Vice-
Camerarius, S. R. E. Diaconus Cardinalis creatus à SS.™ DN
BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 9. De-
cembriis 1726, et publicatus in altero Consistorio secreto habi-
to post semipublicum die 30. Aprilis 1728.*

84.

Cum Gratia et Priv. Sac. Car. Mar.

Joh. Christoph. Kölb. excuderunt.



John...
...
...
...
...



No. LXXXIV.

ANTONIUS BANCHERIUS PISTORIENSIS.



Antonius Bancherius tit. S. Nicolae S. R. E. Diaconus Cardinalis, Affesor Congregationum del Concilio, & propagandæ fidei &c. Illustribus natus Parentibus Pistoriæ in Hetruria ad amnem Stellæ nuncupatum, sitæ Urbis, celebrisque ex interitione ibidem Catelinæ Romanæ Nobilitatis, & nominis opprobrium ob Romæ, Orbis Dnminatrici incendio conflagrandæ minitantis interitum, ut suam luridissimam inopiam rapinis vel hac infami occasione ditare posset, ad dictum flumen Stellam, lacum inflammatæ stygis invenit. Adeo innocentes Stellæ iniquitatem exorbitantem oderunt hominum, ut quasi in aquas conversæ, eos submergere didicerint. Erubuere nimirum Urbis origine adeo nobilis antiquissima moenia exuto omni humanitate monstro hospitalitatem vel unius noctis silentio concedere, quæ parens futura fuerit tot nobilissimarum familiarum, quas inter floret illustrissima Domus, Rospiliosæ, undè ortum habuit Clemens IX. & vitæ integritate, & sapientiâ gubernandæ Ecclesiæ Romanæ, laudabilissimus per orbem Pontifex 1667. in S. Petrum consecratus. plura de hoc vide N. 18. fol. 45. Arcæ consanguinitatis vinculo illustrissimæ Rospiliosæ junctus est Antonius Bancherius, quem quidem fortuna videre maluit naturæ donis, quàm suis abundare. Adolecens liberalibus artibus, nobilibusque exercitamentis addiscendis admovetur. Erat illi ingenium subtile ac perspicax: scientias sublimiores vix visas, menti impressas tenebat: in limine statim doctæ Palladis profundissimos scientiarum effodit thesauros, nobilissima tamen modestia & animi pietate temperatos, quibus facem præferentibus, ad summa quæque sapientiæ culmina facili ascensu pertigit. Hujusmodi jactis validissimis fundamentis, forensi praxi, & Curia Romanæ frequentia applicatus, brevi ad talem experientiam Pontificalium Decretorum legumque civilium usum pervenit, ut prompto calamo, oréque prompto sacra Themedis mentem in rebus decisu difficillimis explicaret: Mnemosynon ejus dixisses Archivium, ac repertorium, in quo actus antiquissimarum forensium causarum recenter quasi descriptos facili negotio legeres. Hinc præsens ac velox in dandis optimis consilijs, & omni rerò memoria gestarum conscius rerum, specimina dedit omnium exquisitæ experientia parèmq; ad maximè ardua applicatis negotia. Respexit Clemens XII. ad eximias tantu Viri naturæ, animique dotes, & vestitum Abbatiali habitu Referendarium utriusque Signaturæ eum denominavit, quod munus Antonius Bancherius, uti erat institutione discretus, industrius, probus ac eruditus, summa cum fama sustinuit, splendorem interim debilioris fortunæ, supplente splendidissima Rospiliosorum familia, quæ attenta sui in Antonio Bancherio sanguinis gloriâ, nullis pepercit expensis, aut sumptibus pro il-


Ppp

lius

lius præclara indole meritis in dies crescente, magis in orbis Urbe conspicua reddenda. Certè derident fortunæ malignantis invidiam, ubi animi ac naturæ dotes, cunctis fortunæ bonis longè potentiores, nobilitatem ex nobilitate commendant. Pistoria assueta magnis, non parit, nisi sibi pares, & ad altissima quæque munia obeunda præstantissimos Viros. Testes sunt ex illa tot præclari ad Purpuram non forte, sed meritis nati, ad mitras evecti Dynastæ, & tandem Triregnalis Clemens IX. Pistoriæ Urbis immortalis gloria, & illustrissimæ familiæ Rospilioæ antonomasticum decus, cujus gloriosa merita identidem in recenti Romanæ Ecclesiæ, quam duos annos, & quinque fermè menses laudabilissimè rexit, memoria conservata repetuntur, ita, ut Summana Sedes sibi summo ducat honori, si in grati animi tesseram quemquam ex Rospiliofa Domo oriundum nanciscatur occasionem suis gratiarum thesauris ditandi. Qua contemplatione piè motus Innocentius XII. Antonium Bancherium Avenionem Vice-Legatum destinabat: hujus in muneris administratione inclaruit summa Viri prudentia, indefessa solertia, intenti in omnes occasiones, ne sacra Sedis jura læderentur. Obstupuère Galli clarissimi viri in conficiendis rebus publicis dexteritatem, tractabilem in omnem partem indolem, & in eorum mores, & amores facilè translaticium ingenium deprædicabant, quo Romani Pontificis pariter atque Gallorum Regis commoda, æqua trutina pensata, tranquillo utrinque foedere subsisterent. Clemens XI. Antonij Bancherii strenuos remuneraturus labores Avenione Romam avocavit, & paulò post Secretarium Congregationis de propaganda fide eum denominavit. Sciebat sanè summus Pontifex, cui, & quanto Viro simile imponat grave munus, videlicet, tali, qui arduum aliquod negotium aggredi visus non est, nisi ex virtutis, ac Religionis promovendæ proposito priùs cum Deo ex consulto ageret: unde non mirum, si honores habuit, sibi obsequentes, & pedissequos. Post breve temporis intervallum ab eodem Pontifice honorificentiori officio decorabatur Assessor S. Officij denominatus. Verùm qui vasto suo ingenio integra Regna circumscribit, totius Ecclesiastici status Secretarius della consulta post aliquot annorum lapsum meritò instituebatur: quo insigni munere usque ad moderni felicissimè regnantis summi Pontificis BENE-DICTI XIII. egregiè functus, ab eodem Gubernurator Romæ præficitur, rententa prærogativâ S. Officij. Ex ipsius suæ Sanctitatis sacerrimis manibus Virgam Prætoriam accepit addita expressa admonitione, attenderet in sibi importantissima commissa administratione Civium Romanorum, ut sinè personarum acceptione, aut respectu ad carnem & sanguinem, justè judicaret, causas decideret juxta legis formam, & agenda in timore Domini sapienter conficeret. Gratulabatur sibi universa Roma de dato sibi coeli favore, prudentissimo Antonio Bancherio in Gubernuratorem, quem cuncti ob eximiam rerum experientiam, & difficillimas expeditiones ad optatum finem, & Orthodoxæ Republicæ utilitatem perductas, promptum consilij excelsi animi, admirandæ eruditionis, profundissimi ingenii, summæ in proferendis sententiis gravitatis, ac incorrupti in omnibus dictis, & gestis candoris fidelissimum Romanæ Curiaæ Ministrum deprædicant. Qua vero solertia suæ curæ, & dexterrimæ prudentiæ hanc commissam provinciam administrârit, vel ex hoc luculenter liquet, quòd nemo Civium fuerit, qui non suave jugum mitissimi ejus regiminis perpetuum portare optaverit: solis conqueri auditis eximiis virtutibus, quæ humeros sui integerrimi hospitoris Cardinalitia Purpura cohonestandos cupiebant, quas tamen Sua Sanctitas sui voti compotes reddidit sacro silentiò, omni clamore valentiori, impositò, dum in Consistorio secreto, Antonio Bancherio, os obseravit, & mox iterum reseravit, ornatòque digito annulò eum Cardinalem creavit, sub tit. S. Nicolæ in carcere; titulus iste est Diaconia, immemorabilis consuetudinis in Ecclesia Romana, in qua Cardinales erant Parochi cum suprema potestate Episcopali. Mandavit autem Sua Sanctitas in actu creationis Bancherij ad Purpuram, ut habitis prioribus officiis, ut ante, interesset, adeò nempè maximi hujus viri prudentia apud suam Sanctitatem in æstimatione est, ut ea in summis emerisur occurrentiis plerumque uti velit. Congratulante sibi toto Purpuratorum Patrum

Patrum Collegio de aucta per talem Virum splendoris gloria, & univerſa Roma in gratulatoria vota liqueſcens inſolita geſtientis animi ſigna edidit inter ter mille accenſos feſtos ignes. Igitur meritiffimus Purpuræ recens Dynaſta, quàm à Sua Sanctitate acceperat, Prætoriam Virgam ſacratſis denuò manibus conſignavit, tranſlatam dein in Joannem Baptiſtam Spinola. Vacantia per mortem Domini Lucinij Lucenſis beneficia valdè pingua Sanctiſſimus Pater Antonio Bancherio Neo-Purpurato contulit. Dicunt, fuiſſe huic Eminentiffimo Dynaſtæ jam ante plurimos annos à celebri quodam Aſtologo vaticinatum, quòd rubeo Galero eſſet potiturus. Enimverò Gentilitia Inſignia non vacant vaticinij myſterio; nam repræſentant Aquilam unicipitem coronatam, ſubtus Aquilam ſex colles unus ſuper alium poſitus conſpiciuntur, duobus inde enatis floribus. Item mare quoddam in parma videre eſt cum quatuor quadratis lapidibus. Aquila volatilium Rex in arduis ponit nidum ſuum, in petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus. Jobi hæc verba ſunt c. 39. ſed vix non ad litteram clara indigitant vaticinia Eminentiffimi Cardinalis Bancherij. Aquila eſt acutiſſimi intellectus cornata virtutum ac ſapientiæ meritis, nidum ſuum poſuit in Petris, inquietum licet ob graviffima quæque expedienda, nunquam tamen vel latum unguem à Petra Romana diſſenſit, ſecurus ibi commemoratur, quia nec portæ infernales eam poterunt commovere, ſed nec ulla Hæreticorum jacta contra inacceſſos Eccleſiæ rupes tam altè tela volant; Item Antonius Bancherius intrepidè exemplo Petri incedit ſuper aquas ſalſi tentationum maris, quid ergo ſupereſt, ut ſit Petrus? conjunge quatuor illos, quos in parma Gentilitia contemplaris, lapides, & habebis ſeptem colles, quibus Romana Sedes inædificata eſt. Spem fovent duo virentes in collibus flores, denique nec votis deſunt merita, nec meritis vota, Superi auctis illis, iſta dabunt.





No. LXXXV.

CAROLUS COLLIGOLA SPOLETINUS.



Carolus Colligola tit. S. Mariæ in Campitello Diaconus Cardinalis Spoletij in Umbria nobilibus natus Parentibus, Spoletium Urbs est in Italia, pertinens sub potestate Ecclesiastici status, Metropolis in Ducatu ejusdem omnino nominis, sita ad collis declivitatem, amplis quidem, ac pulchris exornata plateis, sed inæqualis, Amnis præterfluens, nomine Theffinus, Urbem rigat, Sede Episcopali immediate a summo Pontifice dependente decoratam. In bello Punico Hannibal Romanorum abjuratus hostis sensit Spoletium suorum progressui armorum prævalidum obstaculum, Anno 1555. hæc urbs multa perpeffa est ab Imperatore Friderico Barbarossa, qui denegatum sibi per eam transitum totali devastatione per ignem vindicavit. Anno 1234. Gregorius nonus Concilium hic congregavit ob terræ sanctæ recuperationem, Anno 1583. Petrus Urfinus Episcopus Spoletinus Constitutiones Synodales edidit. Sed Urfinus BENEDICTUS XIII, Carolum Colligolam 30. Aprilis anno 1728. Cardinalem creavit. Non enim nisi Viros scientiis clarissimos, virtutum meritis graves, & de Romana Sede optimè meritos sua Sanctitas hæcenus consueverat Purpurâ vestire. Quis ergo emetietur cogitatu, quanta spolia egregius iste Spoletinus orci Tyranno detraxerit: certè tot, quot in se virtutes expressas eximio pietatis in alios transfudit. Ab ineunte ætate integer erat vitæ, perspicacis ingenii, aspectu decorus, & in omne pietatis studium composito, cujus amabili formæ ancillantur acquisitæ per multos labores Scientiæ, ut unâ conjunctim haberet, quo Deum coleret Religionis studio & proxima charitatis impensæ obsequeretur consilio, Romanæ Curia esset emolumento, suæ Patriæ ornamento. Cùm igitur tot meritorum, Scientiarum, ac virtutum effectus domicilium, & negotijs gravissimis pro publico gerendis natus singulari prudentia inclaresceret, Protonotarius Apostolicus denominabatur, optimam nactus in hoc munere spartam, qua plurimos suarum qualitatum in utroque foro efficeret imitatores, quos in variis scientiarum facultatibus excellentes crearet Doctores. Gaudet enim Protonotarius Apostolicus tam excelsis in Aula Romana privilegiis, ut vel doctæ Sophiæ affectas, vel utriusque sacræ, ac profanæ Themidis Alumnos, & Pindi incolas Doctoris Laureâ inaugurare possit. Cùm verò nemo det, quod non habet, Carolus Colligola exactum in semetipso dictis & factis sapientiæ & virtutis Prototypum exhibebat: nihil certè, quantumvis grave, & intricatum ex rerum circumstantiis ipsi accidere poterat, quod perspicaci ejus ingenio inaccessum fuerat: res difficillimas suæ curæ commissas nunquam non ad maximam Orthodoxæ Reipublicæ utilitatem auspiciatissimè confecit. Hinc in cunctis prosperè ad mentem summi Pon-

Pon-



Carolus Collicola, Spoletinus, Protonotarius Apostolicus,
et Rev. Cam. Apost. Thesaurarius Generalis S. R. E. Dia-
conus Cardinalis creatus à SS. D. N. BENEDICTO PA-
PA XIII in Consistorio secreto die 9. Decembris. 1726,
et publicatus in altero Consistorio secreto habito post
Semipublicum die 30 Aprilis 1728.

85.

Ann. Grav. et Priv. Sac. Crag. M. C. C. C.

Jo. Christoph. Kell. excudit. (L. V.)



Carolo Collecto, Spoliatus, R. amato, et po. soliman.
et R. car. Cant. Reg. Th. sum. in. Generalis. R. E. Dir.
com. Cardinalis. et alius. et SS. UNIVERSITATIS
M. XII. in. Confessio. facta. die. 2. Decembris. 1728.
et publicata. in. alio. Confessio. facta. die. 28.
Septembris. 1728.

Pontificis agens promeruit, ut ob suam probatissimam solertiam Sua Sanctitas BENE-
 DICTUS XIII. cum Generalem suum super omnes Apostolicæ Camerae gazas thesau-
 rarium constitueret. Merito illius fidei divitiæ committuntur Apostolicæ, qui Apo-
 stolicam ducens vitam solo virtutum thesauro furibus inaccessio, contentus vivit. Emi-
 nuit in nostro Eminentissimo Carolo insignis experientia non in rebus duntaxat fo-
 rensis, sed & prudentia singularis in œconomica administratione. Cùm Sua San-
 ctitas 30. Aprilis 1727. Beneventum abiret, piscationem ad Lacum Sanctæ Mariæ
 nuncupatum aspicere dignabatur, & perpenso, dictum Lacum, ex quo Urbi Roma-
 næ magna piscium copia adveheretur, Caroli Collicolæ œconomica industriâ, itâ pis-
 cibus abundare, ex benignitatis abundantia, ac summa liberalitatis inclinatione per
 Decretum Carolo annuos redditus ex præfati lacu provenientes, & ad 4000. scutorum
 excurrentes, in remunerationem industriæ suæ & fidelissimæ administrationis dona-
 vit: Regale omninò donum, quod in nullius ore piscis Carolus invenisset, invenit in
 beneficentissimis D. Petri successoris manibus, occasionem opportunam Eminentissi-
 mo Principi porrigentibus, ut qui aliàs sui omni humanitate perfusus moribus, di-
 cendique venustate omnium animos in sui amorem trahebat, & beneficiis devincie-
 bat, jam ex piscium auctus proventibus aptior fieret pauperes capiens, quorum jam
 plurimos ex undis miseriarum hamo elargitionis elemosynarum extractos in litore
 Christianæ virtutis consolidavit, & plusquàm paterno affectu fovit: pius scenerator,
 ex redditibus suis minimis satisfacit, ut Deum ter optimum maximum debitorem habeat,
 Insignes adeò & naturæ & animi qualitates, quas unicè ad Religionis incrementum &
 sacræ Romanæ Ecclesiæ commoda impendit, Sanctissimum Patrem BENEDICTUM
 XIII. perinovère, ut sacra Purpurâ Virum tam præclarè de Republica Orthodoxa me-
 ritum, honestaret. Erat quippe Carolus unus ex illis septem, quos testimonio vivæ
 vocis oraculo Sua Sanctitas non libenter, sed invita tam diu in pectore reservabat,
 & ultra duos annos sacra quadam impatientia in summa mentis sede circumferebat.
 Nam eorum facta est promotio 9. Decembris 1726. sed publicatio primùm secuta 30.
 Aprilis 1728. Placuit toti Purpuratorum Patrum Collegio tam provida suo splen-
 dori augmentatio, & Virum sacræ Purpuræ dignissimum, qua par est, gratulatorijs
 votis, ac tenerimo affectu amplectebantur. Urbs verò Spoletina audita promulga-
 tione tota in gaudia, resoluta, Concivem suum omni solennitatis honore veneraba-
 tur, cordèque conceptum gaudium publicis contestabatur festis lætitarum signis, vo-
 cis, & ignis: spe freta, fore, ut à tanto Ecclesiæ sydere in coelum pur-
 puratorum Dynastarum translato omnis sibi imposterum de-
 siderata felicitas sit depluenda.





No. LXXXVI.

VINCENTIUS LUDOVICUS
MARIA GOTTI
BONNONIENSIS,

Ordinis Prædicatorum.



Vincentius Maria Gotti Ordinis Prædicatorum tit. S. Pancratij Presbyter Cardinalis, Patriarcha Jerosolomytanus Assistent Congregationum S. Officij, Rituum, Episcoporum, Regularium, de propaganda fide, Examinator Episcoporum, Bonnoniæ honestissimis natus est Parentibus: ejus Parens Professore & Publicum Medicinæ Lectorem in dicta Urbe egit; dignus tanto filio, à quo plurimorum dependeret salus. A puero optimis morum institutus præceptis, vix mundum aspexit, despexit: & ne immundi mundi quasdam contraheret maculas, totum se se involvit mundissimo Candori D. Dominici habitus, prout hodie gestare solent Fratres Prædicatorij. Præ ætatis teneritudine portandi habitum Religionis vix capax, ad austeritates illius æquo animo ferendas utrasque jam protendebat manus. Magister ante grandævus in schola virtutum, quam tyrocinium egressus, Quo finito, tener hic D. Dominici catulus in immensum Thomistica doctrinæ oceanum projicitur, ut solerter innatando Aquinatici radios caperet Solis. Cùm igitur Fratri nostro Vincentio Ludovico Mariæ sagacissimum esset ingenium, intellectus perspicacissimus, & supra ætatem maturum judicium, tantos brevè in Schola Thomæ progressus fecit, ut flumina oraculorum ex ore ejus egredi putarentur: nam grande Philosophiæ arcanorum, & Theologiæ mysteriorum palatium factus, vix quidquam hominis prætulit Angelo similior, & morum candore, & scientiarum flore. Progressu itaque temporis frater Gotti non Bonnoniam duntaxat nativum suæ Patriæ solum, sed & totam penè Italiam sua complexus est Doctrina: nam in studio ibidem generalissimo per plures annos Regentem agens, ipsam Bonnoniam, quæ propter eximios in omni scientiarum genere versatissimos Viros *Docti*, vel *docens* indigitatur, plurima docuit, ipsique Doctores in difficillimis tum Philosophicis cum Theologicis quæstionibus elucidandis ad ipsum quasi oraculorum Tripodem recurrentes, doctiores abibant. Felices fuere præ reliquis candidi Thomistica sententiæ Alumni, qui sacræ doctrinæ fluentia à tanti Magistri ore hauserunt, qui quidem ut condecens erat, in ejus præsentia digitum ori imponebant, modo verò alta gratitudinis voce tanti viri per omnes Provincias quæ latè patet D. Dominici Ordo, doctrinam deprædicant, & quadam relativa, & gratiarum actoria reverentia, ad fontis originem, unde & ipsi in magistros evaserunt, discipulos se fuisse, & adhuc esse cupientes gloriantur. Conjunxit Fr. Vincentius Gotti, quibus



F. Vincentius Ludovicus Gotti, Bononiensis, Ordinis Prædicatorum electus Patriarcha Hierosolymitanus, S. R. E. Presbyter Cardinalis creat, à SS.^{mo} D. N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto habito post Semipublicus die 30. Aprilis 1728.

86.

Am Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj.

Joh. Christoph. Kolb. excud. Aug. V.



Vincentius Ludovicus Celler Bononiensis Ordinis Praedicatorum
 totius electus Patavinae Hieronymianae S. R. E. Presbyter
 for Cuiusmodi et cetera SS. DN. BENEDICTO PAPA XIII in
 Consistorio facta habito post 20m Junii 1728

86

Tab. engrav. Koll. 22. 2. 1728

Engraving of the portrait of Vincentius Ludovicus Celler

quibus nostrum sacrum Ordinem illustravit, doctrinæ radijs, splendorem virtutis, circa omnes se ipsum bonorum operum præbens exemplum fuit in schola, D. Thomæ æmulator, in claustrali regimine, D. Dominici imitator, ibi profudit sapientiæ oracula, hic dedit prudentiæ specimina. In diversis Conventibus Fratrum suffragijs, sed præcipuè in Conventu Bonnoniensi iteratò in Priorem electus, ipse in se prius exactæ regularis disciplinæ observator, facili negotio sibi subditos Religiosos ad sequelam duxit; nihil in rebus arduis Conventus ordinare aggressus est, nisi divina ope implorata per intercessionem Thavmaturgi Sanctissimi Patris nostri Dominici, cujus veneranda ossa ibidem marmoreæ inclausa arcæ in sacra conventus æde multa hominum frequentia publico cultu honorantur, impetratis quotidianis à sanctissimo Patriarcha divini Numinis favoribus, auxiliisque in maximis necessitatibus. Conventus Bonnoniensis merito inter omnes S. Ordinis per orbem Conventus primatum sibi attribuit ob sacrum pignus D. nostri Fundatoris ibidem depositum. Hunc enim locum S. Pater præ reliquis delegit ultimis suæ vitæ claudendis periodis. In hoc sacro Religiosorum Fratrum cœtu floret in primis sacre Inquisitionis officium, attentissimo sapientiæ suæ oculo invigilando, ne vel pestifer contagiosæ hæresis halitus, auram Catholicæ Civitatis à longè inficiat. Florent ibidem altissimarum scientiarum facultates, continuis scholasticis disquisitionibus intricata dubia, & nodos sublimissimarum quæstionum resolventes, & dilucidantes. Alit præfatus Conventus ultra 120. Religiosos sub optima regularis disciplinæ observantia, quos inter offendes celeberrimos Magistros, famosissimos Divini Verbi Præcones, qui S. Ordinis antonomasticum Prædicatorij elogium augent, conservant. In hoc amplissimo & antiquissimo Conventu Fr. Vincentius Ludovicus Maria Gotti sacrum Religionis habitum assumpsit, & varia Ordinis ministeria inoffenso pede altissima sapientia comite percurrens, tandem præstantissimorum Virorum unanimis eligentium calculis Provinciæ Lombardiæ præficiébatur, quo munere summa cum discretione, & prudentia functus omnium amorem, etiam eorum, in quos severiùs animadvertere in moribus coërcendis durioris disciplinæ necessitas eum compulit, promeruit. Post aliquot annorum decursum sacre Inquisitionis Mediolani à S. Cardinalium Congregatione muneri imponebatur, ubi iudicium aut sententiam formavit nullam, nisi ex tanti officij legum præscriptu, vocatisque prius in consilium virtutibus suæ conscientiæ testimonium reddentibus. Duo sunt præcipua in Orthodoxa Republica officia, quorum auctor, & antesignanus est ipse S. Ordinis fundator Dominicus, nimirum sacre Inquisitionis, & Magisterij sacri Palatij Romæ, jure quasi hæreditario jam per continuam sinè ulla interruptione successione in filios tanti Patris transfusa; testes omni exceptione majores sunt tot emanatæ Pontificiæ Bullæ, agnoscentes S. P. Dominicum utriusque officij auctorem, & inde uberrimos fructus in Ecclesiam universalem derivatos, summis encomiis de prædicantes. Sed ut ad Fr. Gotti revertamus: Experta est summi hujus Viri sapientiam hæreticorum pravitas, quam ubique potuit, inquisitam confudit, profligavit, eliminavit, verbis & scriptis prostratam. Experta est hujus præstantissimi Viri profundissimam doctrinam nimium exorbitans Paccininni Calviniani temeritas, cujus egregio suo contra ipsum in lucem edito libro *la Chiesa di Christo dimostrata da Segni, e da dogmi* intitulato, dogmatum fraudes detexit, errores confutavit, enervavit, & radicatus evulsit. Versatur præfatus liber doctissimas inter manus, suumque ex arte probat Magistram. *Ecce volumen volans, Zachariæ 5. Quis altum ejus impedit volatum? plenum est oculis intus & foris.* Volat jam per totam Italiam alis suæ vernaculæ linguæ, docet doctos, instruit plebem, confirmat fideles, confundit infideles, explicat fidei veræ dogmata, & luce meridiana clariùs ostendit ex signis, & doctrina nullam esse, nec esse posse præter Catholicam, veram Ecclesiam, sed reliquas esse falsas, inanes, damnabiles. Volat per Urbes, Provincias & Regna in idiomate latino, per Germaniam, Belgium, Galliam, Hispaniam, Prusiam, Poloniam, Daniam, Suetiam, &

& Helvetiam, ubi ex utroque idiomate, rebus Catholicae veritatis vulpem in astutia sua deprehensam irretitamque in Lago di Como unà cum sua nequitia submersit. Hic liber laudatur ab omnibus, desideratur ab omnibus, approbatur ab omnibus, fatentibus ipsis hæreticis, esse per hunc librum jugulatos Picinini errores, eversa sua dogmata, detectas sua fraudes, proscriptam denique suam protervitatem. Volat ultimò tandem hoc egregium volumen ad summum usque Ecclesie Montis Vaticani verticem, ibique alis contractis in gremium humillimè se dimittit Matris infallibilis veritatis. Excepit hoc volumen volans paterno affectu Sua Sanctitas BENEDICTUS XIII, cui P. Magister Gotti ob insignem Doctrinam, comprobata sinceritatem, & Religiosam modestiam jam à retro plurimis annis acceptissimus nunquam non fuerat, & ad memoriam revocatis adeò Viri præclari meritis, constituit eximios ejus labores remunerari. Quare dignissimum supremis Ecclesiasticis dignitatibus eum in Consistorio secreto habito 30. Aprilis arno 1728. Patriarcham Jerosolomytanum creavit, & post duas horas Cardinalem unanimis Purpuratorum suffragijs, & *Placet*. Congratulabatur. sibi totum Purpuratorum Patrum Collegium de augmento triplicitati jam splendoris ex ordine Prædicatorum Eminentissimorum Cardinalium Pipia, Selli, & Gotti ad sacram Purpuram evektorum à Sanctissimo Patre BENEDICTO XIII. illorum ejusdem professionis Confratre. Summò hæc evectio ad S. Purpuram afficiebat gaudiò Eminentissimum Legatum Pontificium, & Archiepiscopum Bonnoniensem, qui solemnè pompa, & apparatu curribus vehebantur ad Conventum nostrum D. Dominici Neo-Purpuratum Principem tenerrimo affectu complexuri gratulatorio ad Purpuræ honorem. Tota Bonnonia festivis ardebat plausibus, illuminata per domos lætis ignibus. Magna cum pompa nobilissimus Magistratus Bonnoniensis ad Conventum se se contulit gratulaturus P. Magistro Gotti ad Cardinalatus dignitatem, jure meritissimo obtentam, offerens magnifica Neo-purpurato munera, totamque Gottianam familiam honorans donata nobilitate. Universitas Bonnoniensis comparuit gratulatorijs votis in solemnè habitu Doctorali, sacram Purpuram in Neo-Purpurato Dynasta, qui doctissimus inter Doctores audiit, excolatura. Eminentissimus Cardinalis Spinola suum in Neo-purpuratum ostensurus amorem, & aestimatiouem tribus valdè magnificis curribus eum honoravit in donum datis. Quis verò explicabit Conventus nostri Prædicatorij Bonnoniensis gestientis animi, & corporis jubilos in exaltatione ad Purpuram sui honorandissimi filij, proni in terram unus post alterum deosculabatur Eminentissimi sui Confratris Purpuram, apprecantes per series myriadum, ut sanctissimi in folio Petri constituti Patris simul & Confratris venerandissimum succolaret senium, & nunquam desineret sui nativi Conventus Bonnoniensis benignissimus existere Pater, cujus assumpto S. Ordinis habitu non dedignatus est esse per professionem filius,





D. Leander Porzia, Forouliensis, Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Casinensis electus Episcopus Bergomensis S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SS. DN. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto habito post Semipublicum die 30. Aprilis 1728.


87.

Cum Grat. et Privil. Sac. Caf. May.

Ioh. Christoph. Rolb. excudit. 1728.



Die Universität Paderborn
in der Provinz Westfalen
S. R. P. Paderborn
STADT PADERBORN
publiziert die Zeitschrift
für die Geschichte und
Landeskunde
des Bistums Paderborn
Bd. 1. 1901



No. LXXXVII.

LEONARDUS PORTIA
FOROJULIENSIS

Ex Ordine D. BENEDICTI Congregationis
Cassinensis.



Leonardus Portia Ord. S. Benedicti Congregationis Cassinensis tit. S. Hieronymi S. R. E. Presbyter Cardinalis, Episcopus Bergamensis, Assistens Congregationum S. Officij, Rituum, Episcoporum, Regularium, & Immunitatis &c. Foro-julij ex illustrissima apud Foro-julienſes proſapia Portiarum ortus. Floruit ſummum hujus illustriſſimæ familiæ decus elapſo ſæculo Joannes Ferdinandus S. R. I. Princeps, & ſupremus in aula Imperatoria Præfectus anno 1606.

Patre natus Comite de Portia, ob inſignia merita in Sereniſſimam Auſtriacam domum Cæſareo Capitaneo Comitatus Görzenſis, & Archi-Ducali in Hiſpaniam Legato, mox ubi per ætatem licuit, ad aulam Archi-Ducis Ferdinandi poſtmodum Imperatoris II. translatus, Archi-Duci Joanni Carolo majori natu filio in cubiculi Ephebum adſciſcebatur. Quo præmaturè demortuo, cum minori natu filio Ferdinando, deinde Imperatore III. hujus nomine educabatur in litterarum ſtudiis, & aulicis exercitiis ad-junctus comes. In Italiam poſtea abiit altioribus Romæ ſcientiarum diſciplinis imbuendus. Poſt aliquot annorum lapſum Viennam inde reverſus à Ferdinando III. aulae Camerarius, & Conſiliarius cæli Regiminis Græcij in Styria conſtituebatur, & non multo poſt Carniolæ Præfectus. Anno 1647. abiit cum altè fato Auguſtiſſimo Preſburgum ad Comitiam, indeque Viennam ablegatus Archi-Duciſſæ Mariæ Annæ Cæſaris filix firmatam eam inter & Philippum IV. Regem Hiſpaniarum deſponſationem denunciavit. Paulo poſt Venetias Legatus Cæſareus deſtinabatur, Anno 1655. ab eodem Ferdinando III. intimus Conſiliarius actualis denominabatur, paulò ante locò Marquardi Comitum Fuggeri Archi-Duci Leopoldo poſtmodum Imperatori in primum aulae Præfectum datus. Erat Archi-Duci adeò acceptus, ut 1558. Francofurti in Imperatorem electus, non attentis æmulorum obtrecciationibus eum

R r r

ſupre-

ſupremum Aulae Praefectum intimum actualeſem Conſiliarum, & primarium Mini-
 ſtrum denominavit. Philippus IV. in Equeſtrem aurei velleris cooptavit, quo dein
 inſigni ornamento tranſmiſſo, Imperator propriis manibus Pragae cum condecora-
 vit. Ad ſumma quaeque pertractanda Regni negotia, & foedera inter Imperatorem
 & Reges Poloniae, & Daniae contra Turcas ineunda, atque connubia inter al-
 tum Imperatorem, & Margaritham Philippi Regis Hiſpaniarum filiam confirmanda,
 ejus in primis conſilio & prudentia utebatur Auguſtiſſimus. Anno 1664. cum eodem
 Auguſtiſſimo Ratiſbonam ad Comitum profectus eſt, ubi, poſtquam anno 1662. jam
 S. R. I. Principis dignitate fuit inſignitus, qua talis, ſuffragia, & ſeſſionem inter S.
 R. I. Principes in Collegio Imperiali habenda admittebatur ad hanc 27. Aprilis anno
 1664. ab Archiepiſcopo Salisburgenſi ſolenni ritu introductus. Adeo excelsa merita
 Illuſtriſſimam Portianam Domum in ſublime evexere, ut jam ſui ſplendotis radios
 abſcondere non liceat, ſacrum Romanum Imperium non minus, quam exteras Re-
 gum, & Principum aulas, & nationes oblectantes. Tanta Stirpis augmentum ac-
 ceſſit, quando Fori julium Leonardum noſtrum, quo de loquimur, progenuit, pra-
 ſtantem ingenio, judicio maturum, & ad ſumma quaeque rerum publicarum, ſed
 in primis Romanae gerenda, unice natum. Quare nativi ſui ſplendoris quaſi obli-
 tus, eum ſub obſcura D. Benedic-
 ti in Monte Caſſino veſte in prima adoleſcentiae
 aurora abſcondere, ſed gratis, adnitebatur. *Non enim poteſt civitas abſcondi ſupra
 montem poſita.* Et difficile admodum Lucerna ardens ſub panno occultitur, ut non
 per rimas poroſque diſſuſa conſpiciatur. Nobilem ſuum Leonardus animum no-
 biliorem reddidit omnium, praecipue vero profundiffimae humilitatis virtutum orna-
 mentis, quibus ancillas dedit ſublimiffimas ſcientiarum facultates adeo profundè hau-
 ſtas, ut videretur per quendam metamorphoſin in eum immigraffe ſummus Theolo-
 gorum phoenix Aquinaticus Angelus, cujus praeter ceteris tutiſſimam doctrinam am-
 plexus, in maximum Doctorem Theologiae evaſit, ita ut omnium difficultatum no-
 dis facili negotio ſolutis, commune oraculorum in Monte Caſſino inter ſuos habe-
 retur promptuaria, conſiliorum Tripoſ, & ſcientiarum palatium. Cumque ab ejus
 ore doctiſſimi quoque Viri dependerent, omnium in ſe oculos, animoſque conver-
 tit. Hinc & amorem & venerationem ſibi conciliavit non nemini, neſcij, an hac
 praeter illo in tantum Virum utatur. Poſtquam omnia ferme ſuae Religionis magis con-
 ſpicua miniſteria inoffenſo pede cella animi demiffione, & morum amoenitate comi-
 ter obijſſet, ab Innocentio XIII. Abbas Romae ad S. Paulum, ſimulque Conſultor
 S. Officij, Examinator Episcoporum conſtituitur ob ſua eximia merita, ſummam do-
 ctrinam, & inſignem pietatem. Ut quidem in omni vitae decurſu, dictis, & factis pro-
 batiſſimae virtutis ſpecimina dedit, ita erat ardentiffimae Religionis in Deum, charitatis
 eximiae in proximum, affabilis cum ſe inferioribus, humanus ad aequales, reveren-
 tialis adverſus ſuperiores. Tantis, ac tam magnificis exornatus muneribus, ſingu-
 larem erga omnes exhibuit obſequendi animum, juſtitiam ſine exemplo, prudentiam
 ſine imitatione, modeſtiam ſine affectatione. Teſtantur de tanti Viri clariffimo ingenio
 ſapientiae apicem attigiſſe inſignia opera Theologica, quae ſine ſaſtu, publico typo do-
 nata in lucem edidit, in plurimorum commoda, non tam intellectuſ aciem accuendi
 favore, quam voluntatis teporem in Deum accendendi amore. Somni parciffimus,
 diebus deſponſatis noctibus, laborum dotes in Orthodoxae Reipublicae ornamento
 impendit; Deum impenſe colens, eo auſpice geaviffima quaeque, ſuae prudentiae com-
 miſſa negotia dexterrime confecit. Maluit quidem latere ſemper ſub ſacro regula-
 ris diſciplinae ſilentio in Monte Caſſinenſi, ubi exuta propria Perſona ſe totum ſub
 ſuavi obedientiae jugo, ſuaeque devovit Sanctiſſimo Archimandrita, Patrumque Patri
 Benedic-
 to, quam in aulis Principum ſoveri, atque mundanae dignitatis fulgore emi-
 nere, Verum totius Catholicae Eccleſiae ſummus Monarcha BENEDICTUS XIII.
 ſapientiffimorum Virorum amator, ac eximiarum virtutum fautor, voluit Leonardum

Por-

Portia de Ecclesia Romana optimè meritum ad statum perfectionis evehere. Hinc Urbi Bergamensi in Episcopum datum, ipsum sua manu in Ecclesia P. P. Benedictinorum S. Ambrosij in honorem supremi Numinis dicata, consecrare sibi complacuit, & 30. Aprilis 1728. sacro Purpuratorum Collegio Cardinalem creare. Quanta Vir iste planè aureus omnique exceptione major apud suam Sanctitatem in æstimatione & amoribus fuerit, luculenter colligitur ex regali dono, quo sanctissimus Pater Neo-purpuratum Ecclesiæ Principem honorabat; nimirum, magnam illam, ac pretiosissimam ex solido, purissimoque auro constatam crucifixi statuam, quam Reverendissimus, ac Serenissimus S. R. I. Elector Coloniensis sanctissimo Patri in tesseram grati animi propter summam laborum dignationem, qua eum in Ecclesia F. F. Prædicatorum Viterbij (certè rara admodum summi Pontificis ex Urbe aliorum motione) in Archiepiscopum consecravit, affectu plusquam paterno ipsi donavit. Mensis sequentis die 15. Maij Neo-purpuratus Dynasta Episcopali jam insignitus charactere, in sacra æde Sanctimonialium Ord. S. Benedicti ad S. Ambrosium, suum in Abbatiali dignitate successorem ad S. Paulum in Abbatem inauguravit. En! secundum à Sua Sanctitate BENEDICTO XIII, ad Cardinalitiam dignitatem ex Monte Cassino auspacissimè evectum. Sed non est mirum; est enim Ordo D. Benedicti in orbe Orthodoxo præstantissimus, seminarium totius perfectionis, qui Ecclesiæ Catholicæ plus quam triginta quinque summos Pontifices ut nihil dicam de maximo numero Cardinalium, & his inferiorum graduum, & dignitatum, enutrivit. Numerosa stellas, si potes, & his splendidiora ex præfato Ordine ad triumphantis, & militantis Ecclesiæ gloriæ augmentum, orbem universum doctrinæ, & Sanctimonix radijs illustrantia. Fatiscet summorum eloquentia Oratorum, in laudando præclaræ tantorum Virorum gesta, peritissimorum Scriptorum calami hebetabuntur copia meritum nunquam ulla sæculorum successione emetiendorum, felicissimæ æternitatis dipteram volunt, cum faustissima in margine nota; Leonardus Portia, dignus est Vaticani culmine.



Im-



Imprimatur H. S.

Augustæ 27. Decembris 1728.

Franciscus Josephus de Handl,
SS. Theolog. Licent. Rever^{ssimi} &
Ser^{ssimi} Princip. & Epif August. Consil.
Ecclesiast. Major Pœnitentiarius,
& Librorum Cenfor, nec non in-
signis Ecclesiæ ad S. Mauritium
Canonicus, & Parochus,

-m



*Petrus Aloysius Caraffi Neapolitanus, Archiepiscopus Larissæ,
Sac. Cong. Episcoporum, et Regularium Secretarius S.
R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SS.^{mo} D. N. BENEDICTO
PAPA XIII. in Consistorio secreto die 20. Septembris. 1728.*

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj.

Johann Christoph Koll. sc. A. V.



Handwritten text, likely a title or description, located below the portrait. The text is faint and difficult to read, but appears to be in a historical script.



No. LXXXVIII.

PETRUS ALOYSIUS CARAFFA
NEAPOLITANVS.

Petrus Aloysius Caraffa, Sacrae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentii in Pane & Perna Archiepiscopus Larissae, natus est Neapoli anno 1677. 4. Julii pretiosissimus iste in maximas spes fructus de stirpe & antiquitatis decore, & nobilitatis splendore nulli Neapolitanorum facile secundus oriundus. Circumspicientium Hesperides hujus florentissimae prosapiae oculis non occurrent, nisi ornamenta triregni summæ Pontificiæ dignitatis, Cardinalitiæ splendentis Purpuræ nitores, Mitrarum pedorumque decora, Dynastiarum moderamina, virtutum heroicarum incrementa, Belli ducum palmas, Sophiæ Theosophiæque principes, generositatem spirantes, ac magnanimitate animatas statuas, vivos denique doctæ, togatæque Minervæ, & Astrææ asseclas. Illustrissimæ hujus familiæ nonnulli ducunt originem à regio sanguine cujusdam Regis Poloniæ, alii à quodam Nobili Neapolitano Equite, inclytæ domus Carracciolorum maximo ornamento, qui circa annum millesimum Germani Imperii Cæsari Othoni egregiam in bello navavit operam, & pectoris sui robur hostium telis, ne Imperatorem impeterent, objiciens, mortem vulneribus decoravit, illæso servato Othone, qui reperto, visoque sub cumulo occisorum exsanguis sui conservatoris corpore, equo descendit, tactoque tribus suis regiis digitis recenti adhuc ex plagis stillanti cruore, in hæc verba suspirans prorupit. O cara fè! hoc est: o chara, ac pretiosa fides! quibus sub verbis suos detergens digitos, tres in thorace emortui signavit lineas, inde illustrissima hæc familia occasionem est nata & nomenclaturam Caraffa, & gentilitiæ suæ parmæ insignia gestandi, expressa tribus albis trabibus Austriacis Insignibus haud absimilibus. Quo ex tempore hæc illustrissima familia rapidi Paradisi fluminis instar effusa, totum regnum Neapolitanum exterâsque terras, dum sua nobilitate complectitur, cœlesti quadam voluptate oblectat, suisque virtutum oblectamentis non patrium dumtaxat solum recreat, Ecclesiam orthodoxæ Reipublicæ adornat, summam Pontificiæ dignitatis sedem decorat, sed & Imperatorum Regumque aulas in admirationem rapit. In admirationem rapuit potentissimum Hispaniarum Regem Philippum secundum, editis non paucis in Belgia sub Duce Parmensi in hostium turmas stragibus, ac dirutis munitissimis civitatibus, Castrisque Hieronymus Caraffa supremus altæfati Regis copiarum Locum-tenens, magnanima certè Martis soboles, ac Principum in aulis deliciæ. Unde & Archi-Duci Alberto acceptissimus fuit ob armorum præstia

insignia Austriacæ Domui obsequia relictis ubiq; per Boëmiam, Mediolanum, Ungariam, Alsatiam, & Romanum Imperium generosi sui Spiritus gloriosis vestigiis, quibus permotus Imperator Ferdinandus secundus eum Sacri Romani Imperii Principis dignitate auxit. Sileo innumeros alios Heroes in hodiernum usque diem invicto animo Deo, Cæsarique obsequentes, quorum meritis ut mundus angustior est, ita præclara eorum gesta integra non capiunt volumina. In admirationem rapuit Imperatoriam Viennæ in Austria aulam 1665: Antonius Caraffa, armorum experientia nulli Heroum secundus, qui capto Augustissimi Imperatoris Leopoldi felicissimæ memoriæ animo ad summas armatæ Palladis dignitates evectus est: enituit in eo excellentissima quædam in rebus maximi momenti perficiendis prudentia. Hinc Turcica Luna Viennam 1683. arcto armorum circulo obsidente, Antonius Caraffa ad Regem Poloniæ ablegatur pro ferendo militari auxilio solliciturus, quo felicissimè impetrato, Vienna ab obsidione soluta est. Arma deinde secutus Cæsarea, quæ Turcam victorioso ubique per Regnum Ungariæ strepitu conteritum persequerentur, omnibus fermè Ungaricarum urbium expugnationibus interfuit balteo suo inimicorum in sanguine tincto: factus exinde summus vigilum Præfectus totus in eo fuit, ut tumultuantem Transilvaniam victricis Aquilæ alis subderet. Anno 1687. potitus est Agriâ, & anno subsequenti Mungatiò, aucta in dies ipsius merita fidemque remuneratus est Imperator honorificentissimo supremi Commissarii munere Cæsarei exercitus, experta ultimò est expugnata Alba Græca hujus Archistrategi bellicosam virtutem, qua comite Viennam rediens aurei velleris decore ab Imperatore exornatus fuit, quo favore Antonius summopere delectatus, uti in Ungaria superba Turcicæ Lunæ cornua fregit, ita Gallo tum in Germania, tum in Italia victoriæ vocem virtutisque nervos elisit, dignusque habitus, ut, qui Augustissimæ Aquilæ inimicos hinc atque inde propulsârat, in supremum honoris gradum actualis intimi Cæsarei Consilii sublimaretur, quo in munere singularis ejus prudentia Cameram Imperialem miris suavibusque modis novit thesauris augere, ipse verò exhaustis vitæ annis ut orbem suo valore, ita tumbam immortalitate nullo quidem suæ virtutis hærede relicto, implevit 1693. Viennæ demortuus, sequacibus autem de sua familia, heroicorum facinorum quam plurimis Archistrategis, Proregibus, & Gubernatoribus, qui commissas sibi provincias regendi magnificam Parthenopem ita administrarunt, ut optimis floreret artibus, concives gauderent in ea legum suavitatibus. Quæ lingua calamusve satis unquam encomiis celebrabit & vitæ sanctimoniam, & indefessam solertiam Alexandri Caraffæ Archiepiscopi Neapolitani, qui prædecessorum suorum Ordinationes Synodales ritusque suæ Ecclesiæ congestos publicæ luci reddidit, quos Albertus de Oliva doctissimis illustravit Commentariis, opus triginta annorum? Cujus eloquentiam non defatigabit Antonii Caraffæ Cardinalis sapientia, & altitudo ingenii, quo sacræ textus difficiliore pagina intellectu faciliores reddidit & Concilii Tridentini dogmatum oracula declaravit, præses hujus singulari Pii V. instituto erectæ Congregationis? in flore namque juventutis sacræ Themidiscandidatus atque profanæ, in utroque jure simul unaque in historiis Ecclesiasticis adeò profecit, ut, si illa perire, istas memoriâ hominum elabi contingeret, in ipso solo legum apices, & veterum monumenta reperire fuisset. Hinc vivum animatumque librorum quasi receptaculum à Gregorio XIII. Pontificiæ Bibliothecæ præficietur. Quo in officio constitutus varia opera transtulit ex Græco in idioma Latinum, nominatim *catenam veterum Patrum in Cantica, veteris & novitestiamenti Commentarios, Theodoretii in Psalmos, D. Gregorii Nazianzeni Orationes* & plura alia. Perlustravit insuper Biblia 70. Interpretum & à mendis correctæ, ipse suis notis decoravit, collegit Decretales Pontificias in tria volumina, & D. Hieronymi epistolas in locos communes distribuit, relictis post se aliis adhuc ingenii sui monumentis, quæ doctissimis viris in admirationem raptis etiamnum in summè arduis dubiis deserviunt.

Ufi-

Ufitatum quippe Regno Neapolitano est imanes in lucem edere ingeniorum Delphinos Christiano orbi beneficos, conceptui virtutum idoneos: nam excepta Roma, & Florentia nulla urbs plures parturivit Vaticano summos Pontifices, quorum sex numerantur, atque Neapolis, nimirum Bonifacium V. Sanctorum factis adscriptum, Urbanum VI. Bonifacium IX. Joannem XXII. Paulum IV. & Innocentium XII. non numeratis illis, quos Campania deliciarum hortus protulit, & Urbs Beneventana produxit, vide sol. 35. sacrorum verò Purpuratorum Principum penè non est numerus, sola namq; illustrissima Domus Caraffiana cum moderno Eminentissimo, progenuit undecim purpurâ dignissimos Cardinales, totidemque Archiepiscopos, qui doctrina enituerunt eximia, Ecclesiæ orthodoxæ Rempublicam sanctissimis illustrarunt monumentis, populos ad omne pietatis exercitium erexerunt, vitia extirparunt, abusus eliminarunt, &, quidquid ad virtutis meritum perducit, ipsi suo exemplo præiverunt: quos inter veluti coruscantia sydera resplenduit ut sol summus Pontifex Paulus IV. & ipse de stemmate Caraffiano, vir integerrimæ vitæ, doctrinâ celebris, sacrarum linguarum peritus, recti justique tenax, vero Apostolico inflammatus zelo, depravatos Cleri mores Regulariumq; reformavit, non respiciens ad carnem & sanguinem, sed justitiæ trutinam, etiam arctissimo sanguine sibi conjunctos, delinquentes autem, suâque Clementia abutentes, exutos prius omni honore, ac dignitate in exilium ablegavit: sanctissimis haud impar Pontificibus antecessoribus in sancendis saluberrimis institutis, morumq; erectione in ædificationem & ornamentum totius Christiani orbis.

Primus ex hac illustrissima familia Cardinalitiam Purpuram illustriorem reddidit Philippus Caraffa, vir pietate eximius, ac litterarum doctrina in omni genere celeberrimus, is, postquam præstantes animi sui dotes universæ Romæ conspicuas fecit, Archi-Diaconatus dignitate in Ecclesia Bonnoniensi decoratus, mox ibidem totius Civitatis votis summo annuente Pontifice in Episcopalem sedem sublimatus fuit, nec longo temporis intervallo ab Urbano VI. ut Bonnoniensium animos sibi reconciliaret, Presbyter Cardinalis titulo S: Martini in Montibus creatus est, misso Bonnoniam purpureo Galero, quem Joannes Lignanus jurisconsultorum suæ ætatis facile princeps, summaq; in illa Urbe pollens auctoritate in sacra æde Divi Dominici solemniter dignissimo ejus capiti imposuit. Dum anno 1383. 12. Kalendas Martii Fratres Prædicatores in præsentia Philippi Cardinalis, ac Bonnoniensis Magistratus sanctissimi Patriarchæ D. Dominici caput ex arca extraxerunt, & argenteo loculo pro commodiori Ecclesiæ & devoti populi usu, pietatis erga sanctum exercendæ causâ condiderunt, mirè coruscans stella supra Ecclesiam in omnium oculis apparuit, quæ, ut animos civium ad singularem Religionem erga Sanctum Confessorem accendit, ita Purpurati Ecclesiæ Romanæ Principis Philippi cor inflamavit, ut sacrum pignus in comitatu Procerum Bonnoniensium, totiusque Civitatis solemniter Religionis pompa per plateas profecutus sit. Tandem verò 1389. cum Civitas Bonnoniensis pestilentia aura afflata magnam suorum civium stragem passa esset, etiam Philippi sui fidelissimi Pastoris, qui pro sua in cives charitate undique accurrens, solatia pietatis & æternæ salutis medicamina morituris instillarat, lue correpti jacturam cum summo omnium mœrore subiit.

Fatiscit planè calamus, & feliciter tantorum virorum in purpura perditus, encomia suspendit meritorum, virtutumq; nunquam satis laudandorum Cardinalium Marrii, Olivierii, Caroli, Joannis Petri, Diomedis, Fortunati, Petri Ludovici ortorum in Coelo Caraffiano splendidissimorum syderum. Vincentium tamen Caraffam silentiò præterire nequeo, qui, quò honoratior, tantò honoris sui contemptor, titulo alio & nominis sui splendore non delectabatur magis, quàm genuini servi JESU. Hinc ut expeditior esset in tanti sequela Domini, victò Vincentius mundò institutum amplexus

est Societatis Jesu anno 1604. Neapoli in suo nativo solo fuis ex cathedris divinæ Sapientiæ oraculis, & è sacris suggestis admirabili dicendi vi ad omnem pietatis, ac Religionis normam audientium erectis animis Collegio ibidem gubernando præficiēbatur, deinde præpositus Domūs professæ, tandem verò totius sui Clericalis Ordinis unanimi calculo in Generalem assumtus est, quo in munere non solum totus impensus erat sacri sui imprimis Ordinis conservando illibatæ vitæ decori, ac Missionibus dilatandæ Orthodoxæ fidei, sed & beneficentiæ in pauperes aded applicatus erat, ut anno 1649. grassante Romæ fame ad mille hominum ante Collegii fores, quò meliùs potuit, exsaturaverit panibus, nihil interim dempto tempore ab assidua doctissimorum librorum conscriptione, quibus sub nomine Aloysii Siderii se orbi conspicuum reddidit.

Felix itaque, terq; quaterque beata Caraffiana inclyta profapia, quæ tales ac tantos progeniuit viros, quibus & politicum & Ecclesiasticum cœlum fulciebatur, & hodieum novo ipsum decorato purpurâ fulcro, immobilis columnæ instar fulcit Eminentissimus ac illustrissimus Petrus Ludovicus Caraffa Sacræ Rom. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentii in Pane & Perna. Isteneris ab annis suæ adolescentiæ Romam missus ingenii sui subtilitate, ac perspicacia nobilis sui genii admiranda, scientiarum apices transcendit, Pontificiorum Decretorum præsertim, Legumque civilium abstrusa brevi aded tempore penetravit, ut prompta lingua, & calamo prompto, utriusque Astreæ mentem interpretari noverit. Mira semper pietas, morumque gravitas, ac fervens Religionis zelus in eo reluxit adjuncta facundiæ comitate, qua, quam in cumque partem vellet, pronas omnium voluntates Orator magnificus pertraxit. Quare in Clericum de Camera Apostolica assumptus, & polemiciæ Theologiæ armis optimè instructus à Secretis in propagandæ fidei congregationi adhibitus est, Archiepiscopali dignitate Larissensis Ecclesiæ fulgens, & aliis in summam Ecclesiæ Romanæ utilitatem honorificis officiis excellenti quadam prudentiæ prærogativa functus, S. Officii Consultoris, & Episcoporum, ac Regularium Congregationis Secretarii munere auctus, tantem verò à sanctissimo Pontifice Benedicto XIII. Petrus Aloysius Caraffa optimè de Sacra Romana Ecclesia meritis ad Cardinalitiam dignitatem evectus est die 20. Septembris 1728. O quem decorem Purpura accipit ab eo, cujus illustrissima familia originem trahit ex purpureo pro fide Cæsaris & orthodoxæ Ecclesiæ fuso sanguine! vive Petre, & in carne Angelice Aloysii, fulci fidem, quam nomine, réq; firmiter tenes, immobilibus in gentilitia Caraffianæ familiæ parma expressis trabibus, Christus ipse orat prote, ut nunquam deficiat fides tua.






Joseph Archiepiscopus Accorambonus Episcopus Imolensis, Spole-
tinus, SS^{ma} Dⁿⁱ N^{ri}. BENEDICTI PAPÆ XIII. Auditor, S.
R. E. Presbyter Cardinalis creatus ab eodem SS^{mo} D^{no} N^{ro} in
Consistorio secreto die 20. Septembris 1728.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cas. May.
G. D. f.

Joh. Christoph. Kolb. excud. d. V.



Handwritten text, likely a library stamp or a note, located below the watermark. The text is faint and difficult to read, but appears to contain several lines of information, possibly including a date or a reference number.



No. LXXXIX.

JOSEPHUS ACCORAMBONI SPOLETANUS.

Iosephus Accoramboni S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ Transpontinæ natus est die 24. Septembris anno Domini 1672. in loco, qui cognominatur Loci delle preci, sito in Diocesi Spoletana: haud dubium, quin pientissimi parentes fufis ad Deum precibus tantum nacti sint filium, qui in loco precum in lucem editus mentem semper gereret in Cœlum erectam. In primo ætatis flore, fructus maturæ perfectionis protulit, & adolescens virum se in virtutibus exhibuit. Otium ut colubrum fugiebat, vel si mavis, veluti alter Marsus colubras venerosæ voluptatis lubricæ juventuti insidiantes assiduæ orationis cantu dirupit, omnes vires ad pietatis, & integerrimæ vitæ studium extendens, qua via magnanimus noster Spoletanus forti armato animæ spoliis inhianti ex omni latere aditum deprædandi occluderet. Ut autem in virtutis palestra castissimus noster Josephus nihil neglexit, quod animæ poterat delectabili esse ornamento, ita in stadio humanarum divinarumque scientiarum acquirendarum cucurrit, ut brevi in altissimam Sophiæ, Teosophiæq; abyssum penetrans, Vasto suo ingenio obstruissimam earum obsorberet arcana: sed non aded nobilibus contentus intellectus ornamentis, quibus proximus adjuvatur in ordine salutis æternæ consequendæ, nisus est summos apices utriusque juris conscendere, ut plurimorum comoda, & necessitates procuraret in foro externo. Divus igitur iste Polycletus duos in se erexit scientiarum statuas, alteram pro foro ad populi genium, alteram domi ad regulas artis propriæ virtuosæ vitæ, & honestæ conversationis. Impensus itaque forensibus rebus, Curiam Romanam suæ frequentia personæ oblectabat, oracula namque, sacræ profanæque Themidis alumnus, æquitatis profundebat, cæcus non æniis, stateras deprimens, sed juris pondere inclinans trutinam, & unicuique, quod suum erat, tribuens. Perstrinxit Sanctissimi Pontificis Innocentii XIII. mentis oculos oculatus iste cæcus, Atrææ alumnus admirandâ suâ in rebus expediendis forensibus prudentiâ, suavi pariter ac comi suo ingenio, visoque, quod Josephus, cum esset vir justus, in cunctis prosperè ageret, summæque Reipublicæ Christianæ tractandi negotia capacissimus probaretur, Auditorem S. Rom. Rotæ, ac Congregationum Rituum, & S. Officii Consultorem, atque Episcoporum Examinatorem constituit, nec non Archiepiscopum in partibus Philippenfium declaratum, Episcopum Imolensem inaugurarit. Audiamus vivæ vocis Beatissimi Pontificis Benedicti XIII. fel. mem. oracula, quæ in Consistorio secreto, feria secunda 20. Septembris 1728. protulit: Duo hodie, Venerabiles Fratres, quæ adhuc in vestro collegio vacant, loca replere,

T t

re,

re, ac vestrum proinde numerum perficere intendimus. Parum autem, imò nihil esse perpendimus, Collegii numero perfectionem adicere, si perfectionem illam, quæ in suprema quiete est, non assequamur. Præclara quippe Angelici Præceptoris nostri D. Thomæ Aquinatis doctrina nos instruit, *ultimam hominis perfectionem in intellectu; & voluntatis quietione consistere*. Inquietum autem semper fore cor nostrum, donec ad DEUM vadat, confessus est jam pridem aliud Ecclesiæ lumen præclarissimum Divus Augustinus. Innumeris idcirco nos imperfectionibus circumdati, assistricem simul, ac auxiliatricem à Deo, cujus perfecta sunt opera, sapientiam in hoc, quod pro majori ejusdem Dei gloria, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ honore peracturi sumus, humiliter exposcimus, dum ad duorum Cardinalium creationem devenire velle denunciamus, videlicet, Venerabilis Fratris Petri Aloysii &c. & venerabilis Fratris Josephi Archiepiscopi, Episcopi Imolentis, Auditoris nostri, ac Congregationum Rituum, & S. Officii Consultoris, atque Episcoporum Examinatoris, cujus doctrinam, intetrigatem, & fidem in suis, summo labore ac studio, tum in Pontificatu Prædecessoris nostri felic. Record. Innocentii XIII. tum nostro, ministeriis exercitis, jam nemo Vestrum ignorat.

Ad tanta ipsius summi Ecclesiæ Monarchæ præconia, & interrogato Sacro Purpuratorum Patrum Collegio, quid vobis videtur? quis sibi imaginetur, vel ad momentum suspensam esse, unanimum vocem *placet*? imò interrogatio & responsio cohærebant, in quem omnium propensiones jam dudum inclinabant. Creato igitur in Cardinalem Josepho Accoramboni, gradulabatur unavoce, corde, & ore sacrum Collegium, sibi que de collata tanto viro dignitate, quam non sorte, aut emendicato favore, sed meritis cumulatis, & maximis pro Ecclesia Romana exantlatis laboribus acquisivit. Utinam sicut Urbs Romana per omnem, qua licet ætatem, gratulabundis votis de aucto ex Purpura tanti Prælati splendore in ore pupillarum & viduarum, quorum communis Pater Josephus Accoramboni audiebat, exultabat, Spolertana Diœcesis gestientibus animis, & eucharisticis in cœlum sublatis manibus pro duplicato in suis eximiis popularibus, nuper Carolo Colligola, modò Josepho Accoramboni Purpuræ honore, tota in jubilos liquefacta sua vota festis ignibus contestabatur, Civitas Imolensis ob suum ad Cardinalitiam dignitatem evectum Antistitem tota in ara jubilantis cordis immolabatur, ita & Philippenses detestata turpis Mahometis secta, ac infidelitate ad cor redeuntes flexo poplite, suum jam purpuratum Archiepiscopum excepissent. Sed non desperandum: erubescet tandem Luna, & fractis suæ impietatis cornibus, eju ratoque Impostore Mahomete, inclinatis cervicibus ad Joseph ibunt, recepti in gremium solius salvificæ Ecclesiæ orthodoxæ Romanæ, & si superis placet, Josephi signatos cruce pedes humiliter exosculabuntur. Est autem Philippopolis Urbs in præalta rupe sita, & Archiepiscopali sede olim decorata, in Thracica Provinciæ, quæ hodie Romania vocatur, sub Turcico jugo gemens, ad præterfluentem amnem Mariza nomine, ubi Ariana hæresis anno 347. magna congluvie, in odium Romanæ Ecclesiæ Prælatorum Sardicæ congregatorum, & saluberrimas ibidem ordinationes statuentium, confluit, novo constato fidei Symbolo, Semi-Aariana hæresi foetente, & ne (hæreticorum more) subitus latens odoraretur fraus, sed ipsorum editi in publicum articuli tanquam catholici haberentur, suo conciliabulo subdolè nomen Sardicensis Concilii affricabant, cum non exigua inde subsecuta fidelium perniciæ, falsum pro vero apprehendentium. Ite igitur Philippenses, ite contrafracta cordis rupe, ad Joseph, in solida Petri petra purpureo in throno confidentem, & paratum apertis brachiis, qui nunc à Christi conversatione & via DEi alienati estis, sacro bapismi latice ablutos, tanquam fratres amplecti.


No.



Camillus Cybo ex Principibus Massæ, et Carraria Patriarcha
Constantinopolitana Sacri Palatii Apostolici Præfectus S. R. E. Pres-
byter Cardinalis creatus à S. Smo. D. N. BENEDICTO PAPA
XIII. in Consistorio secreto die 23. Marty 1729.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. May.
G. D. sc.

Ioh. Christoph. Kolb scul. a. 1729.



Faint, illegible text or a stamp located below the circular watermark, possibly containing a date or a signature.



No. XC.

CAMILLUS CYBUS MASSARA-
NENSIS DE CARRARA
ITALUS.



Amillus Cybo da Massa di Carrera Sacrae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis tit, Sancti Stephani in Monte Coelio Assistent Congregationum, Episcoporum & Regularium, Concilii, Rituum, Consultationis boni Regiminis ac de fide propagandae, in praefata sui nominis, ac Domini Arce natus est die 25. Aprilis anno reparatae salutis 1681. ex illustrissima Cyborum familia, quae nobilissimas inter stirpes Italicae Sphaerae ut splendidissimum sydus emicat, & tanquam stella Lucifer interdiu, noctu Hesperus ita circumit ad Hemisphaerium Genuense, ac movetur, ut omnium virtutum horas indicare diceres. Qui originem Cyborum prosapiae inquirat, abyfos saeculorum ingrediatur, necesse est, sed non nisi thesauros sapientiae, aurifodinas excelsi meriti, venas argenteas illibati candoris, Heroum scuta, galeas Archistrategorum, thoraces invictae virtutis, Triregna summæ dignitatis, purpuras sublimissimi honoris, pedes Pastoralis eminentiae, Principes, Dynastas, Imperatorum, Regum decora, aularumque delicias reperiet. Nonnulli hoc stemma initium trahere autumant à Joanne Faga, famosissimo sub Belisario Belli duce: faga enim in idiomate Latino idem explicat, quod cibus: alii hujus familiae originem afferunt ex Cibon felicitis Arabiae civitate: quidquid de hoc sit, palam tamen est, quod hæc illustrissima domus jam inde à decimo saeculo, ad nostra usque tempora in immarcescibili flore perstiterit & propagativi fructus honore. Anno 999. Otto I. Imperator Guidoni Cybo donavit aliquas in Italia Dynastias in remunerationem fidelissimorum in bello praestitorum obsequiorum: avitæ bellicosae virtutis, animique imperterriti haeredem reliquit nepotem Lambertum, sanguinis sui pro Christo prodigum, Turcarum terrorem, qui utramque Insulam Gorgonam, & Capraiam ipsorum jugo liberavit. Lanfranchius Cybo consul munus diu sustinuit Genuæ, & hanc rempublicam optimis institutis decoravit. Inter alios filios egregiae indolis natus est ipsi Guilielmus, Classum Caroli Regis Neapolitani Praefectus, qui in multis legationibus

T t t 2

trans-

transfusas in se Regum Principumque personas circumtulit, & maximè arduis Regnorum negotiis felicissimum ad finem perductis, ab ipso Divo Ludovico Gallorum Rege Equitis dignitate decoratus fuit. Anno 1440. per omnium ora volabat fama deprædicans ubique terrarum insignem prudentiam, inque armis summam experientiam Arani Cybo, Reipublicæ Genuensis peculiaris ornamenti, qui Regi Renato missis in auxilium militibus, in Governatorem Civitati Neapolitanæ datus est, & ibidem captus a Rege Aragonensi Alphonso, cui acceptissimus erat, iidem muneri restitutus fuit. Calixtus III. allectus ipsius gubernandi arte, Urbis Romanæ Præfectum instituit. Parens reverà felicissimæ proles, à qua prognata sunt insignia Ecclesiæ orthodoxæ lumina, Laurentius Cybo, postmodum Cardinalis, & Joannes Baptista, qui anno 1484. in summum Pontificem sub nomine Innocentii VIII. evehctus est. Si unquam mundus hospitavit justitiæ amatorem, Innocentium profectò habuit: Non respexit celsissimæ hic dignitatis in orbe vir neq; carnem aut sanguinem, non præminentiam nobilitatis, aut muneris prerogativam, justitiæ autem pro rata delicti exigentiam. Quo saluari remedio Innocentius usus, non Romam duntaxat, sed et totam Italiam paucorum elapsu annorum à pristinis passim ubique grassantibus purgavit deprædationibus. Damno id suo experti sunt duo nobiles Romani Petrus, & Hieronymus de Bubalis, iniquitatum jumenta, & commune refugii stabulum tumultuantium Romanorum, sed non regente Innocentio. Nam in Petrum consecratus, par nobile fratrum una die captum brevi sortito iudicio victimam dedit carnificis gladio, non obstante, quòd parens illorum Franciscus de Bubalis plurimum apud Innocentium valeret. Duo alii didicere justitiæ, & non temnere Divos, Dominicus Viterbiensis, & Franciscus Maldensis, ut nobilitate, ita & nequitia haud impares Apostolicarum falsificatores litterarum, in publico foro Romano in patibulum acti, cadaveribus deinde eorum igne combustis, non attentis supplicibus tribunali tunc assidentium precibus, gravissimorumque virorum. Justitiæ meritis Innocentii adscribenda sunt illa duo pretiosissima munera, quæ Turcarum Imperator Bajazetus II. donò remunerativo ipsi transmisit, titulus scilicet S. Crucis, qui tot spatiis annorum emensis ob hostium pericula intra murum Ecclesiæ S. Crucis nuncupatæ, Hierosolymis abscondus erat, unà cum ferrea, atque crudeli Lancea, quæ Domini Salvatoris nostri latus aperuit, quatenus fratrem suum Sultanum Zizimum bello captum dein Romam adductum, mitius haberet. An non Laurentius Cybo Comes de Ferentillo Bonnoniam magnanimè defendit, & Pontificiorum satellitum posthac Præfectus, factus tempore, tam iniquè quàm crudeliter ab hæreticis militibus in castello Angeli carceraliter inclusi Clementis VIII. potitus est Civitate Monza in favorem Ducis Mediolanensis Francisci Sfortiæ II. qui anno 1520. cum Richarda Malaspina Alberici Marchionis de Massa, & Carrera unica filia desponsatus, Marchionis de Massa & Domini de Carrera titulum adeptus est, cujus filius Albericus I. 1568. ab Imperatore Maximiliano II. in S. R. Imperii, & Massæ Principem evehctus est. Floram florentis suæ virtutis Marti desponsavit, generoso dotatam animo, ac primis annis sæcundam sobole militaris officii, quando sub Guidebaldo de Urbino Pontificii exercitus Duce in primum Locum tenentem suffectus est, sicque successivè auctis meritis, honorumque gradibus ascensis, Imperii Princeps audit: demortuus est anno 1623. ætatis suæ 96. postquam 14. Pæpas, 6. Imperatores, totidemque Gallorum, & tres Hispaniarum Reges vitæ annis superavit. Duos procreavit filios Alteranum, & Ferdinandum, patre suo prius defunctos, relicto ex primo Carolo hærede, qui sequentium fuit parens filiorum. Alderani Cardinalis Presbyteri, & Episcopi Ecclesiarum Ostiensis, & Veletrensis sacrique Collegii Decani, ab Innocentio X. purpura candecorati: qui diversis temporibus Apostolicum Legatum egit Ravennæ, Ferrariæ, & Urbini, qui banno interdictorum audaciam sua comescuit potestate, Innocentius XI. postea, quocumunâ simul Cardinalis creatus est, eum primum Pontifi-

tificiæ aulæ Ministrum constituit, gratulante sibi tota Roma de tanti viri præstantia. Francisci Odoardi, qui in Helvetia Nuntii Apostolici munus summa cum laude obiit, deinde Patriarchali Constantinopolitana dignitate auctus. Dominici, qui contempto sæculo monachum indutus Abbatialem vestivit honorem, & Alberici II. qui fuit Caroli primogénitus, cujus præclara pro S. R. I. incremento gesta Augustissimus Imperator anno 1664. in comitiis remuneraturus, S. R. I. Ducem de Massa, & Principem de Carrara ipsum declaravit. In Successorem suorum Statuum reliquit Carolum II. qui ex Theresia Pamphilia Camilli Principis ad S. Martinum filia, multa prole dotatus, quas inter Eminentissimus noster Cardinalis Camillus S. R. Ecclesiæ sacratæ Purpuræ ornamentum, & Princeps, nec non avitæ nobilitatis Cybonum gemma inæstimabilis, qui florem juventutis in arham pietatis datum, maritalit cum docta Pallade. Erat acri ornatus ingenio, intellectu perspicaci, ac subtili, sublimissimas scientias vix degustatas in suam mutavit substantiam, ut ipse quasi in scientiarum transfusus naturam, totus scientia esse videretur: æmulus sacræ profanæq; Themedis, pro thorace induit justitiam, ut sui maximus victor, non Ecclesiæ Romanæ duntaxat, sed & pauperum pupillorum, viduarumque causas accerrimè vindicaret, quare & Natio Camerensis suæ se cum propria Ecclesiâ protectioni commissam voluit. Ob adeò præstantes animi dotes, promotus est ad Patriarchatum Constantinopolitanum, & Sacri Palatii Apostolici Præfecturam, quæ honorificentissima munia summa solertia, ac studio pietatis obiens, Odoardi superiùs nominati secutus est virtutum vestigia, suæq; Profopiæ ornamentum, qui Nuntii Apostolici munere in Helvetia functus Patriarcha Constantinopolitanus creatus est. Sed & Eminentissimi Cardinalis Alderani Cybo, qui sub Innocentio X. S. Palatii Apostolici Præfecti officium cum summa laude sustinuit, virtutes eximias imitatus est, ac Innocentii Cybo, qui Messinæ, Turini, Genuæ, Infulis decoratus, anno 1513. de manibus Fratris suæ matris Leonis X. eundem rubeum pileum. quo ipse ab Innocentio VIII. honoratus est, accepit. Quare Benedictus XIII. insignium virtutum æstimator, & de Ecclesia Romana optimè meritorum ponderator virorum, Camillum Cybo Sacrâ Purpurâ 23. Martii 1729. exornavit, congratulante sibi universo purpuratorum Patrum sacro Collegio de incremento sui splendoris, gloriæq; decore, nec non universâ Româ, quæ, quantis in promotione tanti viri ad Cardinalitiam dignitatem deliciis afflueret, publica gestientis animi edidit signa festis passim accensis ignibus, qui Genuensis Reipublicæ juncti nocturna coeli caligine erepta, diem terris attulerunt, prompta, quæ Genua vocatur, sua, quæ modò flexo animo suum in purpura adorat concivem, coram eo, coelo dante, in Pontificem suscepto, genua flectere.



Uuu

No.



No. XCI.

FRANCISCUS BURGHESIUS ROMANVS

Franciscus Burghesius Romanus S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo S. Petri in Monte - aureo, Archiepiscopus Trainapolitanus Sacri Palatii Præfectus, ex illustrissima, & per orbem universum decontatissima Burghesiorum familia oriundus Romæ primam aspexit lucem die 20. Junii 1692. Prosapia Burghesia antiquissima est, atque nobilissima, tam Urbi Romæ, quàm Romanorum Principum singulare decus, & ornamentum, ex ea prodierunt togâ & sago præstantissimi ac summa omnium commendatione dignissimi viri, quorum excelsa merita, ut omnem Arithmeticæ transcendunt numerum, ita nulla deprædicationis periodo circumscribi, aut coarctari possunt. Prætermitto itaque quàm plurimos, qui steriles Scriptorum pennas longa historiarum materia foecundare possent, unum aggrediar commendandum Paulum V. Magnum Romanis, ac venerabile omnibus nomen, qui ante assumptionem ad summum Pontificatum Camillus Burghesius audiit, & iam tunc præclarissimis Urbi Romæ inclarescens meritis, postmodum in summam evectus sedem toti illuxit orbi miris, atque stupendis factis. De Immortali gloria tanti Pontificis præstat nihil, quàm pauca dicere, ne ineptitudine calami laus tanti viri potiùs obscuretur, quàm multa verborum ambage illustretur. Erat Paulus V. verus Apostoli Pauli imitator Apostolico agitatus spiritu, inflammatus zelo, cui angustior mundus Europæus, in remotissimas orientalis Indiæ Regiones sese diffudit, ubi Hispaniarum Regis ditioni subjectam Civitatem Crangoram Archiepiscopali dignitate condecoravit, sub titulo Sancti Thomæ Indiarum Apostoli, adjectis aliis Diocæsis, Diaconatibus, & Archidiaconatibus per Indiam, & Persiam hinc inde dispersis, constitutus super his erat Archidiaconus, Georgius nomine, qui 1599. cum 253. sibi subditis Sacerdotibus, aliisque ad hoc deputatis 671. qui omnes hæresi Nestoriana infecti, & à Romana Ecclesia desciscentes Diamperæ in India Urbis comparuere, quorsum etiam Goæ Archiepiscopus Alexius de Menses illustre ex S. Ordine D. Augustini Eremitarum sydus cum suis Catholicis se se contulit: ubi more Catholico celebrata synodus Divina affiltrice providentia adeò auspiciatum sortita est exitum, ut Georgius Archidiaconus cum toto, quem comitem habuit, clero, detestato pristino suo errore ac schismate ejurato, in gremium Matris Sacræ Romanæ Ecclesiæ cum prompta, ac



*Franciscus Burghesius, Romanus Archiepiscopus Traianopo-
litanus, Sacri Palatii Apostolici Prefectus, S. R. E. Presbyter
Cardinalis creatus à S. S. mo. Dño. N.º BENEDICTO PAPA
XIII. in Consistorio secreto die 6. Iuly 1729.*

Cum Grat. et Priv. Sac. Cas. Rom.

Johann Christoph Kolb. exc. a. 1729.



Portrait of Johann Adam Reiser
born in 1700 in Paderborn
died in 1770 in Paderborn
Member of the Paderborn
Academy of Sciences
1750

ac filiali se conjecerit, quorum exemplum non solum omnis ab eorum ore dependens fecutus est populus, sed & innumeri infideles, & Pagani detestatis suorum errorum tenebris, aqua sacri baptismatis abluti, christiana amplexi sunt fidei dogmata. Quam verò cordis lætitiā Archiepiscopus Menesius, & re intellecta Paulus V. circa omnia hæc sacerrimè pertractata, fenserit, captu difficilè est, difficiliùs scriptu, considerato præsertim, quòd in opere tam pio, Deòque grato tantum laboris impenderit tres immediatè antecedentes summi Pontifices Gregorius XIII. Sixtus V, & Clemens VIII. Sub anno 1599. magnum illud ex 900. gravissimis viris consistens in India orientali congregatum fuit Concilium, re tamen infecta, donec Paulus V. ultima adjecta manu totum hoc spirituale negotium ad exoptatum perduxerit finem, & ad confirmandos tum paulò ante ab Ecclesia Romana desciscentium tum Christo recenter regenerantium animos, magno cum conatu, & immensis factis pecuniarum expensis Archiepiscopatum ibidem erexit anno 1607. secundo sui Regiminis. Non minori perfusa gaudio Pauli V. gestiebat mens post fluxum octo annorum, hoc est anno 1615. audito, quòd Ecclesia Asiatica in Paphlagonia cum suo Antistite Gabriele Gangrensi renunciato Græcorum schismate, Romanæ Ecclesiæ reconciliata se univerit, quod contigit hoc anno Mense Januarii, sub eius finem geminata fuit summi hujus Pontificis lætitiā, videntis Regis Idatæ, Voxuæ in Iaponia ablegatos, post emensa tot millia milliarium Romam adventantes, & sui Regis nomine deosculantes pontificios pedes, Obedientiam, & in fide Catholica constantem perseverantiam jurantes. Intercurrente hoc tempore anno nimirum 1609. plures Persiæ Imperatores quàm Reges Romam Legationes expedierunt, factæ suæ Beatitudini Pauli V. supplices, renuntiantesque, qualiter magno animarum Zelo RR. PP. S. Ordinis Eremitarum D. Augustini, fidem orthodoxam labefactatam, olim quidem in Persia florentem, de novo iterum passim in Provinciis erigerent, crucisque decorem replantarent, quos ingenti cordis jubilo Paulus auditos, pretiosissimisque donatos muneribus, sed pretiosioribus insignitos sacræ fidei dogmatibus, à se dimisit. Cùm verò enumeratæ nationes, quæ ultrò Apostolicæ sedi duce divina gratia se subdiderunt, solâ plerumque Arabicâ usæ sint linguâ, Paulus V. sollicitudine paterna instituit, ut in Academiis Catholicis (quæ & studia generalia vocantur) apud Regulares præsertim præter linguam latinam etiam Hebraica, Arabica, & Græca docerentur, quatenus tales ad fidem orthodoxam conversæ gentes sufficiens doctrinæ pabulum ex informantium ore invenirent. Hoc eodem corrente tempore alii etiam ex Africa, ex Regno Congo Legati coram Paulo V. Pontifice comparuere, missi ad eum à noviter ad fidem converso Rege, qui suo nomine filialem obedientiam & prompta obsequia Vicario Christi deferrent. Hoc ipso anno 1615. felicissimus iste Pontifex ad suos pedes abjectos vidit ex utraque India adventantes nonnullos ex Societate Jesu præstantissimos viros, nimirum ex Perù, Paraquaria, & Mexico occidentalis Indiæ, pariterque ex Malabarica, & China orientalis Indiæ, novum Romæ electuri sui Ordinis Generalem Præpositum, qui postmodum unanimis votorum suffragiis fuit nobilis Romanus Mutius Vitellescus, qui omnes unà secum ad pedes more Catholico suæ Sanctitatis prostrati Ecclesiarum in utraque India erectarum statum annunciantes, & qua par est, eum animi submissione commendantes, Apostolica benedictione impertita, insignia remunerationum dona à sua Sanctitate reportarunt, insuper pretiosissimis donati libris, variisque gratiarum Apostolicarum indultis decorati Romam profecti sunt. Jubilum verò mentis Pauli V. cujus lingua explicabit, aut calamus exprimet? Non Asiam, Africam, Americam, sed & Europam, diversis infectam hæresibus, ac damnandis sectis, suo complectabatur Apostolico Zelo Paulus V. hinc totus erat in evertendis sacræ fidei contrariis dogmatibus, quem egregiè juvit incredibilis animarum ardor D. Francisci Salesii Episcopi Geneveræ, qui divinam succensus flamma ipse solus septuaginta duo millia hominum Calvinianis im-

butorum erroribus ad fidem Orthodoxam convertit, illustrissimorum pariter & doctissimorum non parvò in numero. Hos inter Apostolicos sudores, quis sufficiat tanti Pontificis gestientis animi conceptos enarrare jubilos? Porro pro omnibus Ecclesiis maximam Paulus iste curam gerens, hanc præ aliis suis Antecessoribus nactus est à DEO vita comite, felicitatem, quòd splendidissimo magnificentiâ in toto Christiano orbe templo Divi Petri in Vaticano immensis extructo impensis ultimam imposuerit manum, Deoq; ter Opt. Max. dedicaverit, in cuius perpetuæ memoriæ signum in magnificentissimo propylæo Pauli V. templi hujus consummatoris nomen intuentium obiicitur oculis, lectores admonendo, quòd ipse tantum ædificium non ex materia duntaxat, lignis, ferro, & lapidibus subministratis, ædificaverit, sed & suis ad Deum fufis precibus, pietatis exemplis, & relictis Apostolicæ doctrinæ sacris constitutionibus, quarum 121. exstant, fulcierit, moribus enim, referente Henrico Spondano, incorruptissimis, ac vitâ illibata claruit, quibus universum mundum illustravit, dignissimus in terris Vicarius Christi, Splendor Burghesiæ profapiæ radiantissimus, decor Romanæ sedis, & fydus orbis. Ex hac igitur oriundus stirpe Franciscus noster non minores animi dotes, virtutesque complectitur, Principe adèd excelso, cujus magnitudinem Roma laudibus effert, dignas, eximia namque ipsius comitate ipsa natura quasi gloriatur, divitem in hunc singulari quadam voluptate se effusam esse, ut tanquam in proprio palatio honorata, omnium animos occulta amoris vi in solo Francisci Purpura delectaret, & ne attractivæ virtuti aliquid ex omni parte deesset, perfudit labia facundiæ amœnitate, linguam gratiæ sapore, quâ in verba soluta pronas audientium voluntates ligaret. Gracili dem ac vasto rerum gerendarum ingenio fœcundus, Sacræ æquæ ac politicæ Reipublicæ versatili utitur prudentiâ sinè personarum acceptione, pauperum pariter ac divitum, debiliū ac potentium causas ad Themidis leges incorruptâ ponderans trutinâ. Insignes suæ doctrinæ thesauros virtuti pietati ac Religionis Zelo in dotem dedit, quibus desponsatum Benedictus XIII. annuli Archiepiscopalis indissolubili nexu cum Ecclesia Traianopolitana maritavit, & Cameræ Apostolicæ constituit Præfectum; denique suffragantibus excelsis meritis Purpurâ decoravit sua altè fata Sanctitas Franciscum, quem ob præcipuam tractandarum rerum peritiam, ac singularem sapientiæ laudem in optatissimum membrum & Assessorem sibi delegerunt, obtinueruntque Congregationes variæ, videlicet Consultationis, Consistorialis, Aquarum, boni Regiminis, Pontinarum, Paludum, Lacuumque: munia profectò, quæ dum Summam in administrando prudentiam requirunt, multorum humeros defatigarent, solus Franciscus Burghesius impigrè sustinet, est autem Francisci valde familiare Vaticanum Atlanticis viribus fulcire succolareq;, donec Ecclesiasticis diu exantlatis laboribus in præmium meritorum detur Triregni diadema, ultimum nostri Purpurati Principis Francisci messarum in terra virtutum ornamentum.





*Fr. Carolus Vincentius Maria Ferreri, Niciensis in Provincia
Provincia, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Alexandrinus,
S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. Dño. Nro. BE-
NEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 6. Julij 1729*

Calc. Gnet. et Fir. Soc. Cas. May.

Joan Christoph Kolb exc. W.



WILHELMUS...
P...
S...
M...
M...



No. XCII.

CAROLUS VINCENTIUS FERRERIUS NICIENSIS.

Ordinis Prædicatorum.



Carolus Vincentius Ferrerius Niciensis in Provincia Provinciæ Episcopus Alexandrinus, S. R. E. Presbyter Cardinalis Assessor Congregationum S. Officii, Episcoporum, & Regularium, Examinis Episcoporum, Disciplinæ Regularis, Immunitatis ac Rituum, natus est Nizzæ die 13. Aprilis anno 1682. ex Illustrissima Ferreriarum prosapia Principum in Masserano oriundus. Insigne hujus stemmatis ornamentum fuit Sebastianus Ferrerius, qui fidissimis suis Duci Sabaudiaë dedicatis obsequiis, tantis sua industria, ac licitis mediis excrevit divitiis, sui que nominis famam ac gloriam diffudit, ut Ludovicus XI. Rex Galliarum in suæ aulae splendorem ipsum accersierit, non finè scænoris decore, lucrique emergentis nitore, ipse namque usus magnanimitate, atque opulentia ad status Mediolanensis conservationem remansit Rex post Sebastiani mortem trecentorum millium aureorum debitor. Splendet etiamnum Roma erectis ab ipso magnificis Palatiis in monte di Cavallo, & Borgo, Pedemontium extructis munitis arcibus, Mediolanum, Vercellum, Biela, Ivrea, & Augusta Taurinorum sumptuosissimis ædificiis, & passim per civitates ad Dei cultum augendum ædificatis Ecclesiis. Inter alia emicat nobilissima ipsius & profusa liberalitas, & pientissima in Deum Religio ex fundatione Monasterii Canonicorum Regularium D. Augustini Bielæ, quibus alendis duo millia constituit annuatim florenorum. Attingit octuagesimum ætatis suæ annum, visa quarta quatuor filiarum, novemque filiorum suorum matrimoniiis maximè conspicuis familiis junctorum generatione, quorum duo Cardinalitia purpurâ Romanam Ecclesiam illustrarunt, Joannes Stephanus Episcopus, primùm Vercellensis, deinde Bononiensis, quem inexorabilis mors anno 1510. ætatis verò suæ 36. purpurâ exutum, tristi obsecravit funere, & Bonifacius, Episcopus Vercellensis post obitum sui fratris à Leone X. creatus Cardinalis 1517. dictus Cardinalis de Ivrea, quia & ibidem Episcopali dignitate fulgebat, auctus postea Episcopali munere Ecclesiæ Niciensis. Intereat trinæ summorum Pontificum electioni, Adriani VI. Clementis VII. & Pauli III. locò cujus in se transfusa autoritate in œcumenico Tridentino Concilio præsidebat. Postea Bo-

X x x

noni-

noniam abiit Legati à Latere insignitus caractere, ubi pro tenuioris fortunæ nobilibus alendis Collegium fundavit; tandem Porti denominatus Episcopus, Principatu Masseranensi, multisq; aliis in Pedemontio sitis locis suam familiam ditatam decoravit. Fatis concessit Romæ 1543. Petrus Franciscus Ferrerius S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Vercellenfis natus Bielæ in Pedemontio filius Godefredi Dynastæ de Casalevalone Præsidis Mediolanensis Magistratûs à Rege Franciæ constituti, qui fuit unus ex novem prædicti Sebastiani filiiis, magno sibi scientiarum thesauro collecto Romam ad aulam Pontificiam se contulit, ubi munere Referendarii Apostolici egregiè functus, Vercellenfis Episcopatus dignitate est honoratus, qua fulgens Concilio Tridentino interfuit, & à Pio IV. postquam summa cum laude Venetiis Apostolici Nuntii personam sustinuit, rubrâ in præmium tanti viri meritorum, galerâ coronatus fuit, resignato pontificali honore Vercellenfi Guidoni Ferrerio, filio Marchionis Sebastiani de Romagnano, & Matris Magdalenæ Boromeæ, nepoti verò altè fati Cardinalis Petri Francisci. Guido omni pietatis studio à teneris annis imbutus, ac elegantia litterarum excultus, Philosophiæ operam navit, cujus scientiæ arcanis petipicaci suo ingenio penetratis, utriq; juri se se Bononiæ applicuit, promotus ex utroque ad supremos Doctoratûs honores omnes Themidis alumnos in admirationem rapuit, Romam deinde vocatus, sacros Cardinalis sui Nepotis in se expressit mores, rebûsque difficillimis ad Romanæ Reipublicæ summaq; sedis emolumentum feliciter confectis suum Castorem Pollux in cœlo sacri Collegii purpuram, quam ab eodem Pio IV. ob insignia sua merita accepit, indutus reciproco benignitatis aspectu est oblectatus, ex quo in Romandiolam missus est tanquam Legatus Pontificius, Romæ verò, postquam duo Vercelli fundavit collegia, pientissimè obiit anno 1585. Tales ac tantos viros immortalia illustrissimæ familiæ Ferrerensis ornamenta prædecessores habuit noster Carolus Vincentius, quorum insecutus virtutum vestigia, & ipse suo ascensum purpureum pede attigit, charitate in primis, & omni pretioso meritorum lapide constratum. In tenerrimo ætatis suæ flore speciosissimos jam ostendit fructus honoris & honestatis, saluberrimo influxu radiantis in D. Dominici fronte stellæ quondam maturandos in horto Prædicatorum Ordinis, in quo desponsatis cum Religionis virtute altissimis scientiis brevè in virum consummatum evasit: nam Vincentius Ferrerius in Ambonis, in cathedris Thomas Aquinas audiebat, illum in vi dicendi, hunc in docendi munere imitatus. Ideo enim sacre Prædicatoriæ familiæ adscribi voluit, ut scopum lemmatis, quod illa in sacra sua parma expressum gerit, *Laudare, benedicere, & prædicare*, manu, opere, & linguâ attingeret: audientium namque animos, quocumque volebat, sed semper ad bonum, rapida suæ eloquentiæ vi attraxit, & quot discipulos habuit, tot lucidas stellas fixas non errantes cœlo Thomistico efformavit. Audiamus vivæ vocis oraculum sacerrimi Pontificis Benedicti XIII, quod fudit in Consistorio secreto die 6. Julii 1729. creando Vincentium Ferrerium Cardinalem. „ Intendimus, inquit, sanctissimus Pater, Venerabilem Fratrem Vincentium Ferrerium nostri Ordinis Prædicatorum sacre Theologiæ Magistrum, & in publicis Universitatibus per plures annos Artium, ac sacre doctrinæ Lectorem laudatissimum Episcopum modò Alexandrinum. “ Nempe Alexandrinæ, quam celebrem Urbem in statu Mediolanensi sitam duo amnes Tanarus, & Bormida complectuntur, ejusque munitissima propugnacula præterfluentes amico murmure defendunt. Anno 1707. hæc Urbs ab invictissimo Imperatore Carolo VI. consentiente Rege Catholico in feudum Imperiale cum adjacentibus terris, certis sub conditionibus concessit Sabaudia Duci modò Sardinia Regi, qui Majestatis suæ in purpuratum Vincentium nostrum transfusa personâ, cum Summa, ac vix unquam visa simili pompa, solemnè celebrato in principem Orbis Urbem ingressu, Romæ Legatum constituit ac suæ coronæ sceptrique arcanorum, & consiliorum arbitrum ibidem esse voluit, ut vel hinc Regia purpura in purpura tanti Prælati toti fieret mundo

mundo

mundo magis conspicua. Erubuit quidem purpuratus candor, tantos impensos sibi honores, maculam reputans humilis emissæ Professionis, sed ex hoc ipso agnovit polymitam tunicam filii sui humilior Benedictus XIII. summus Pontifex ejusdem Ordinis, & Professionis, plurimum in Domino gavifus, eandem Purpuram, qua Conratrem suum ipse textit, à Regibus summo in honore haberi. Vidisses sacram pugnam Vincentium olim, inter & nunc Vincentium, hic ut victus videretur, ad osculum pedis ruit, ille, ut vinceret, è throno surgit, ambo victi, atque victores in mutuos ruunt charitatis amplexus, ut magnetica Ferrerius virtute pietatis attractus, altissimè Benedicti Pontificis effigiem impressam ad summi usque fastigii exaltationem conservaret.



X xx 2

No.



No. XCIII.

ALAMANNUS SALVIATI FLORENTINUS.



Alamannus Salviati Florentinus S. R. E. Cardinalis nobilissimâ Florentinos inter, ac de Hetruriæ Ducibus optimè merita progenie ortus, natales suos pulcherimæ in Italia urbium, Florentiæ debet. Joannes, qui primam Lucem Florentiæ aspexit 1467. lumen verò oculorum immatura nimis irruente in eum morte clausit 1504. hodie felicissimè Regnantis Magni Hetruriæ Ducis protoparens ex Catharina Sfortia Galeacii Mariæ Ducis Mediolanensis filia filium progenuit pari parentis nomine Joannem, insignem belli Ducem, armatam cujus dexteram, animiq; robur suò damnò experti sunt Florentinorum tunc conglobati hostes Veneti, Galli, Rhæti, Helveti, & Hispani, sed invida generosæ adeò Martis proli fortuna, Acroventi sclopetario globo trajectæ ulteriorum rotam stitit trophæorum anno 1526. Conjux ipsius fuerat Maria Jacobi Salviati filia, ex qua 1519. natus est alter & Sapientia & Opulentia Salomon Cosmus I. postmodum titulo Magni Ducis à Pio V. insignitus, aureâque coronâ honoratus, à quo proinde omnis ut à sole in reliqua sydera Lux diffunditur, ita in Florentinos Statumque totius Hetruriæ depluerat felicitas. Nullum ni fallor, Regnum, aut Provincia tot progenuit, ut Toscana terra Pontifices: cum moderno Ecclesiæ Orthodoxæ Monarcha sex numerabis, quos sola Florentia Vaticano dedit: tres ex Serenissima Medicæa Domo Leonem X. Clementem VII. & Leonem XI. & tres ex illustrissimis Familiis, Aldobrandina Clementem VIII. Barbarina Urbanum VIII. &, quo nunc in præsentiarum gaudet Christianus Orbis Corsiniana, Clementem XII. Laudatissimos & cunctis Gentibus memorabiles in terra Christi Vicarios. Et Leo quidem Princeps mitissimus in omnes, liberalis in quemquam, pacificus, comis, & affabilis, tenax, justitiæ sinè personarum acceptione, nunquam suis nova vectigalium, censuum, & tributorum onera imposuit subditis, relicto populo Romano in dubio, an retroacta tempora simili gavisa sint Pontifice, adeò benignè Romam gubernante, eamque splendidissimis ædificiis decorante: unde Senatus, populusque Romanus permotus ipsius honori magnificam de marmore statuum erexit hac inscriptione exornata. „Optimo Principi Leoni X. Pontifici Maximo, ob restitutam, instauratamque Urbem, aucta sacra, bonasque artes, vectigal sublatum, adscitos Patres, datum Congiarium S. P. E. R.“ Laus profectò non nisi celsissimæ summorum Principum in regendo Sapientiæ, ac magnificæ virtuti debita, & quam ad vivum modernus sacræ Romanæ Ecclesiæ Monarcha è cœlo datus exprimit Clemens XII. Quid enim orbis Chri-



*Allamannus Salviati Florentinus Protonotarius Apostolicus, Præses
Urbini S. R. E. Presbyter Cardinalis Creatus à S. S. mo Dño. Nro. BE.
NEDICTO PAPA XIII in Consistorio secreto habito in Palatio
Vaticano die 8. February 1730.*

Cum Grat. et Priv. Sac. Cas. May.

Joh. Christoph. Koll. excud. A. V.



Abraham Schickel
1784
Paderborn

Christianus ulterius desideret, quam in omnem partem vigilantissimum & super gregem sibi commissum fidelem Pastorem habere? an non ea virtutis est vis, quæ etiam juratos hostes disertos facit in eos, quos oderunt. Audiatur vel unus Martinus Lutherus, qui ab Romana Ecclesia desciscens, sed nondum à rugitu Leonis anathematis fulmine ob passim per Germaniam enormes sparfos hæresum errores tactus, hunc Leonem super nubes extulit encomiis, comparans præstantissimum universalis Ecclesiæ Patrem divis Prophetis Danieli, & Ezechieli, eumque Agnum innocentem indigens in has voces erupit. „ Interim tu Leo, sicut agnus in medio luporum sedes, „ sicut Daniel in medio leonum, & cum Ezechiele inter scorpiones habitas &c. „ Hac affectione tactus, dolui semper optime Leo, his te sæculis Pontificem factum, „ qui melioribus dignus eras. *Et paulo inferius hac in eadem epistola.* celebrator, „ *inquit,* & augustior est in omni terrarum orbe vitæ tuæ inculpatæ fama, quam ut à „ quovis vel maximi nominis possit quavis arte impeti. Utinam verò hæc verba fuissent hominis constantis, & non apostatæ pravò corde machinantis malum, & omni tempore jurgia seminantis. Asperis certè non est usus Leo, sed lenibus, & ut facilius corrigeret pœnitudo, quem nulla deformasset abjectio, agni naturam Leo retinuit, ut devianti redeundi præberet, & deposito in Ecclesiam furore respiscendi occasionem: debuerat certè adhibita tanta in eum benignitate redire, & suavi increpatione sui erroris admonitus, Leonis magnanimitatem sinè aperta confusione humiliati amplecti: nam magnanimo satis est corpus prostrasse Leoni. Quid ergo ultra debuit facere Leo viti bis mortuæ, & non fecit ei? an quoddam expectavit, ut faceret uvæ, & fecit labruscas, fel draconum toti penè Germaniæ, & venenum aspidum Ecclesiæ universæ progerminantes insanabile? Secundus è Magnis Hetruriæ Ducibus Maximus Pontifex fuit Clemens VII. felicissimus infelicissimorum temporum ex fratre, Leonis X. nepos, qui super malitia Martini Lutheri tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, si clementiâ nequeam, gladiò Spiritûs oris mei, & qua valeo auctoritate Vicaria Christi perversa hominis perversi dogmata: quem in finem, cum Imperatore Carolo V. suis ipse manibus Bonnoniæ 1530. die Divo Apostolo Matthiæ sacro, in quem Caroli Dies incidit onomasticus, coronato, ablegavit Nuntium Apostolicum Thomam Campegium Feltrensem Episcopum virum doctissimum, & singulare Prædicatorii Ordinis ornamento, ad Augustæ celebranda Comitium, ubi sacer Antistes cum aliis præstantissimis Orthodoxæ Ecclesiæ Theologis Lutherum armis & oris & calami aggressus ita ejus confutârât impia dogmata, ut unanimi Electorum ac Principum Imperii (quinque si demas) in Comitium congregatorum, & omnium Civitatum Imperialium, præter sex, sententiâ, fuerint tanquam pestifera damnata, execrata. Unde illa gemebunda Philippi Melanchtonis vox: *Augustæ atroci sententiâ damnati sumus.* Erat quippe Clemens VII. ut præstantissimi de ipso testantur Scriptores, Sapientissimus, non minùs, ac in omnes sui pastoralis muneris partes perspicacissimus Princeps & Pontifex, quam immobilis Petra in tuendo Sacrorum Canonum jura, atque sacra fidei dogmata illibata fervando. Talem experiebatur infelix ille & profligatæ vitæ Princeps Henricus VIII. Angliæ Rex, qui rupto indissolubili Matrimonii vinculo cum legitima sua Coniuge Catharina nata Arragoniæ Regina, cujus repudiata locò ut posset desponsari cum lasciva Anna Bolena, Clementis insanis continuò petitionibus aures pulsavit, sed surdas Ulyssis instar, neque enim decuit sceleri adeò detestando summi Pontificis & Christi Vicarii sententiam favorabilem utpote conscientiæ, & divinæ atque humanæ legibus contrariam, expectare, monita verò salutaria, adhortationes paternas, & adjunctas lacrymis preces dehortatorias, quibus turpe Veneris incendium in Regis corde extingueret Clemens, animi demissione excipere Henricum, quem proinde omnia salutaria spernentem medicamina justo anathematis fulmine prostravit Ecclesiæ orthodoxæ Jupiter: esto, quoddam Henricus ad tanta tonitrua surdæ aspidis instar gremio Ecclesiæ


Matris scisso, abortivæ hæresis prolem sui Regni in hanc usque horam reliquerit hæredem. Tertius ex Serenissima Medicæa prolapia thronum D. Petri ascendit Leo XI. sed vix ibi confidens præmaturis fatis concessit, cujus universæ Ecclesiæ deplorandum excessum Gualterius in sua tabula Chronographica suis comitatur lacrymæ: *factum est, inquit, vel indignitate peccatorum nostrorum, vel meritorum ejus cum uldiã exigente, ut Ecclesiã non licuerit eo diu perfrui.* Sedit enim non plures quam 27. diebus integro sæculo dignus, cujus prudentiæ atque consilii operâ ante Pontificatum fœdera pacis Hispanos inter & Gallos inita stabilita sunt: quid non in dignitate Pontificia constitutus egisset, qui Cardinalitã tanta effecit ad totius Christianæ Reipublicæ emolumentum, & gaudium? Alios verò, quos territorium Hetruscum protulit summos Pontifices, octodecim reperies, ex quibus tres Linus D. Petri Apostolorum Principis proximus Successor, Gregorius VII. & Joannes I. Sanctorum factus adscripti sunt. Cardinalium Florentinorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Sacrorumque Dynastarum numerus Arithmeticam excedit, quos inter suo tempore ex illustrissima Salviatica familia floruerunt, & pietate, & sapientia commendatissimi Cardinales, Bernardus, & Joannes duo germani fratres. Primus fuit Claremontanus Episcopus, & Catharinæ de Medicis Franciæ Regiæ Eleemosinarius, alter Archiepiscopus Traniensis in Hispaniam postmodum & Galliam Legatus missus, cujus operâ dissidia inter Clementem VII. Pontificem, & Carolum V. Imperatorem orta componerentur. Hos in suæ Purpuræ decore sequitur noster Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Alamannus Salviati, ex Protonotario Apostolico, ac Legationis Urbinatis Præsidente, quibus in muneribus optimè de Ecclesiã Romana promeritus à Benedicto XIII. fel. mem. die 6. Febr. Anno 1730. Cardinalis renunciatus est, decima quinta videlicet ante mortem summi Pontificis die, ut manifestum omnibus esset, tunc denique eum, cujus memoria in benedictione est, è Petri Cathedra, vitæque *discedere* potuisse, quando alium Alamannum scilicet nostrum, cui totus acclamabit orbis: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, in Eminentissimorum Cardinalium Collegio, in futuræ successionis spem constituisset: vel potius post creationem 29. Cardinalium durante suo sacerrimo Regimine, videns omnes esse valde bonos, requievit Benedictus XIII. in sancta pace die ter septimo id est 21. Febr. 1730. ab universo opere, quod patrarat. Ut autem post mortem creati Creatoris, Ecclesiæ, & Sacri Collegii Cardinales uno ore enarrent gloriam immortalem Benedicti XIII. placuit Sanctissimo Successori Clémenti XII. neo-Purpurato os referare, quod nunquam utriusque tacebit laudes, donec labra purpurata in Purpurato Alamanno, ab utroque beneficio, vel etiam ad triregnum sublimato, vitam ad totius Ecclesiæ utilitatem spirabunt.


NB. Finiunt hîc Cardinales Eminentissimi à summo Pontifice Benedicto XIII. fel. mem. creati. Sequentur à moderno Sanctissimo creati creandique, eadem, quæ nunc exstat, formâ elapso uno alterove mense.




ere-
XI.
an-
fa-
vi-
ie.
de-
icia
no-
um-
um
rip-
co-
fuo
m-
fuit
na-
tus
m-
en-
Le-
ana
ia-
ni-
vi-
la-
na-
em
os,
ni.
cri
uit
am
o-
ta-

III.
ic,







Th
474a